DE

# PEPLO ARISTOTELICO

## QUAESTIONES SELECTAE

---

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

**AEMILIUS WENDLING**

**RHENANUS.**

---

ARGENTORATI

MDCCCXCI.

Von der Facultät genehmigt am 25. Juli 1891.

PARENTIBUS SACRUM

# PRAEFATIO.

De Peplo Aristotelico quae ante Schneidewini commentationem ao. 1846 in Philol. I p. 1—45 emissam (‚De Peplo Aristotelis Stagiritae. Accedunt Pepli reliquiae‘) scripta erant hodie nullius fere pretii sunt. Itaque eos tantum qui inde ab illo anno eandem rem tractaverunt breviter indicabo. Qui omnes fere a Schneidewino ita secesserunt ut Stagiritae opus illud tribuendum esse aut negarent aut addubitarent. In hanc sententiam inclinavit Carolus Mueller in fragm. hist. graec. II 188 sq. (ao. 1848). Deinde J. G. Hulleman scripsit ‚Bedenkingen tegen de echtheid van den zoogenaamden *ΠΕΠΛΟΣ* van Aristoteles‘ (in ‚Verhandelingen der Koninklijke Akademie van Wetenschappen. Afdeeling Letterkunde. Erste Deel. Amsterdam 1858‘) ac quamquam nonnulla recte observavit, in ipsas reliquias parum inquisivit. — Rursus Georgius Rathgeber in libro quem inscripsit ‚Androklos, bisher borghesischer Fechter benannt, Bildsäule des kaiserl. Museums zu Paris. Mit einem Exkurse über den Peplos des Aristoteles, Gründers der neuaiolischen Philosophie. Geschrieben als Gegenstück zu Lessings Laokoon‘ (1862) epigrammata ex Peplo servata Aristoteli tribuit; sed hic liber tam absurdus est ut omnino in censum venire non possit. — Tum totum Peplum a philosopho abiudicaverunt Valentinus Rose in

Aristotele Pseudepigrapho (1863) p. 565 sqq. et Aemilius Heitz in libro quem inscripsit ‚Die verlorenen Schriften des Aristoteles‘ (1865) p. 296 sq. atque in fragmentorum Aristotelis editione (Parisiis 1869) p. 309—318. — Porro Mauricius Schmidt in Philol. XXIII (1868) p. 47—71 de Peplo egit in commentatione ‚Hygin. Fab. c. 97 oder die ursprüngliche ordnung der epigramme des aristotelischen Peplos‘. — Postremo respicienda sunt quae Theodorus Bergk in Poetarum lyricorum vol. II (inde ab altera editione 1854) de Pepli epigrammatis exposuit (in quarta edit. 1882 p. 338 sqq.).

Omnes fere qui de Peplo scripserunt ab epigrammatis profecti sunt et in his totius quaestionis fundamentum posuerunt; unde factum est ut usque ad hunc diem valeat vigeatque opinio a Schneidewino l. l. satis refutata Peplum fuisse opus poeticum vel maximam partem poeticum. Cum igitur viri docti totum Pepli argumentum his epigrammatis vilissimis comprehendi putarent (cf. p. 11) fieri non poterat quin Stagiritae opus illud abiudicandum esse censerent. Sed in hac re nimis neglegunt et titulum libri et veterum testimonia; nam πέπλος quid significet per se patet: imago enim sumpta est a vestibus vario colore vel pictura insignibus quarum nobilissimum exemplum peplus qui dicebatur Panathenaicus erat; significat igitur varietatem argumenti; hanc autem nonnulli in eo positam esse putant quod aut diversi generis carmina aut versus pedestri sermoni intextos comprehenderit. Neque tamen ex solis carminibus iisque diversis Peplum constitisse neque omnino epigrammata illa tanti momenti fuisse ut liber ab iis nomen accipere posset vel ex indice operum Aristotelis Hesychiano apparet qui recenset πέπλον· περιέχει δὲ ἱστορίαν σύμμικτον. Itaque in ipsa ἱστορίᾳ varietas argumenti inerat; cf. Gellii noct. att. praef.: ‚Nam quia variam et miscellam et quasi confusaneam doctrinam conquisiverant, eo titulos

quoque ad eam sententiam exquisitissimos indiderunt. Namque alii Musarum inscripserunt, alii silvarum, ille πέπλον, hic Ἀμαλθείας κέρας'[1]) eqs. Peplus autem horum librorum qui varietatem argumenti exquisitiore quodam titulo significabant antiquissimus fere fuisse videtur. Iam igitur id imprimis nobis agendum est ut qualis fuerit in eo ἱστορία quantum quidem fieri potest cognoscere studeamus. Hoc autem ita nos optime assecuturos esse putavimus si in priore disputationis parte nonnullos scriptorum locos tractaverimus quos a Peplo pendere aut ex fragmentis testimoniisque appareat aut veri sit simillimum; ac primum quidem in rerum inventarum catalogis apud Plinium et Clementem Alexandrinum servatis haec vestigia accitis ,Pepli Theophrastei' fragmentis quae nostra demum aetate reperta sunt detexisse nobis videmur, nec non in Hygini fabulis aliquot (ubi singula iam ab aliis observata erant); tum in Porphyrii Paralipomenis Homericis quorum fragmenta apud Eustathium restant. In altera autem parte demonstrare studuimus epigrammata Pepli cui fere aetati attribuenda sint et qua ratione cum varia historia cohaereant.

Qua via num quae nova rectaque protulerimus peritiores iudicent. Omnino autem minus id egimus ut quaestionem illam perdifficilem solvamus quam ut novam materiam afferamus unde Pepli Aristotelici indoles et argumentum melius cognoscatur, ita ut sperare liceat aliquando hanc rem ad liquidum perductam iri.

Facere autem non possum quin etiam hoc loco gratias agam Georgio Kaibel qui me postquam has quaestiones instituere coepi consilio suo optime adiuvit.

Plinius in nat. hist. VII § 191—210 magnam copiam inventionum varii generis enumerat et nonnullis locis auctores uno excepto graecos affert qui testentur hanc vel illam rem ab hoc illove esse repertam; qui scriptores sunt:

Gellius § 192. 194. 197. 198.
Aristoteles § 192. 195. 197. 205. 207.
Anticlides § 193.
Epigenes § 193.
Berosus § 193.
Critodemus § 193.
Theophrastus § 195 (bis). 197. 205.
Hesiodus § 197.

Philostephanus § 207. 208.
Hegesias § 207.
Ctesias § 207.
Archemachus § 207.
Damastes § 207.
Thucydides § 207.
Mnesigiton § 208 (bis).
Xenagoras § 208.

Quos in priore ordine collocavi auctores, statim vides in primis praecipue enumerationis illius partibus (usque ad 198 fere) citari nisi quod Aristoteles et Theophrastus § 205, Aristoteles denique § 207 laudantur. Alterius autem ordinis auctores et cum iis semel Aristoteles uno eodemque loco 207. 208 et de unius generis inventionibus afferuntur, cum in mediis catologi partibus § 199—205 ne unius quidem scriptoris nomen citetur. Sed per totam fere enumerationem loci exstant quibus de singulis inventionibus variarum sententiarum auctores non nominantur, sed hoc modo indicantur: ‚alii' (sc. dicunt) quattuordecim locis. ‚aliqui' (194) ‚quidam' (194) ‚sive' (200) ‚aut' (197. 209) ‚reperiuntur qui putent' (206) ‚magna quaestio est' (205).

In indicibus Plinianis scriptores plerumque eo ordine afferri constat quo in ipso libro primum adhibiti sunt [1]). Iam cum eorum qui in septimi libri indice enumerantur, in libro ipso ante inventorum catalogum ultimus citetur Democritus (§ 189), inde a Diyllo ei auctores afferri videntur e quibus ea quae de inventionibus dicuntur hausta sint: ‚(Ex auctoribus externis:) — — — Diyllo historico, Stratone qui contra Ephori *εὑρήματα* scripsit, Heraclide Pontico, Asclepiade qui *τραγῳδούμενα*, Philostephano, Hegesia, Archemacho, Thucydide, Mnesigitone, Xenagora, Metrodoro Scepsio, Anticlide, Critodemo‘. — Ex his qui agmen ducunt quattuor Diyllus Strato Heraclides Asclepiades in ipso libro non citantur (Metrodori mentio ad § 89 pertinet). Complures autem qui in inventorum catalogo nominantur, in hac indiculi parte desunt, cum iam in prioribus libri septimi partibus adhibiti sint; quare in indice quoque iam antea commemorantur: Aristoteles (§ 15. 27), Epigenes et Berosus (160), Hesiodus (153), Ctesias (23), Damastes (154) [2]). Eorum autem auctorum quos supra (p. 1) enumeravi in indice unus Theophrastus deest, quod sine dubio librariorum neglegentiae tribuendum est; neque ex hac re quidquam concludere licet (ut voluit Eichholtz, De scriptoribus *περὶ εὑρημάτων*, Halis 1867, p. 17), nam eum auctorem qui in libro ipso quater citatur, in indice aut consulto aut per neglegentiam a Plinio omissum esse cogitari nequit [3]).

Habemus autem alterum rerum inventarum indicem

1) Cf. Brunn, De auctorum indicibus Plinianis, Bonnae 1856, p. 12.

2) Gellii nomen in auctorum romanorum indice secundum locum obtinet; sed in hoc nullo certo ordine auctores enumerantur.

3) Eichholtzii dubitationem M. Kremmer, De catalogis heurematum (1890), probare non debuit (p. 103).

apud Clementem Alexandrinum (Strom. I p. 361 sqq. P.) qui non solum complures res cum Pliniano habet communes, sed etiam iisdem fere fontibus debetur quibus ille. Etenim bene contigit ut Clemens quoque auctores nominaret:

| | |
|---|---|
| Scamo | Aristodemus |
| Theophrastus | Aristoteles |
| Cydippus | Philostephanus |
| Antiphanes | Strato. |

Statim vides inter hos scriptores quattuor reperiri e quibus Plinius quoque hausit: Aristotelem Theophrastum Stratonem Peripateticorum principes et Philostephanum Callimachi *γνώριμον* (Athen. 331 d) [1]).

---

1) Eichholtz p. 7 recte observavit hunc Clementis catalogum ita esse institutum ut inventorum nomina ordinem alphabeticum sequantur; huic autem ordini nihil fere nisi ea obstare quae cum Tatiani or. adv. Graec. c. 1 congruant. Cur autem idem vir doctus dubitaverit statuere Clementem haec e Tatiano petiisse non intellego. Nam primum quidem nulla alia ratione tam facile explicatur cur ordo litterarum turbatus sit nisi ita ut Clementem ponamus inter ea quae ex alphabetico ut ita dicam fonte hauserit Tatianea illa inseruisse; deinde Clemens spatio non ita magno intermisso de simili quadam re citat, p. 378 P . . . . *πάσης σοφίας ἀρχαιοτάτη ἡ κατὰ Ἑβραίους φιλοσοφία. εἴρηται μὲν οὖν περὶ τούτων ἀκριβῶς Τατιανῷ ἐν τῷ πρὸς Ἕλληνας κτλ.* — Kremmer quoque p. 48 inventa illa e Tatiano fluxisse negavit atque fonti qui Tatiano et Clementi communis fuerit tribuit. (Quam dissertationem cum mihi non prius innotuerit quam meam amplissimo philosophorum ordini tradideram, sive mecum consentit sive dissentit auctor, in adnotationibus solum respiciendam putavi.) Sed quae ille omnino disseruit de inventorum catalogo Clementino quem e tribus diversis fontibus conflatum esse censet, hoc loco refutare longum est. In universum autem mihi videtur nimis acutus fuisse in fontibus discernendis. E. g. p. 21 magni facit quod „cum illis catalogi particulis quae seriem litterarum turbant, tres laudentur historici Ephorus, Herodotus (§ 13) Hellanicus

Sine dubio eae res quae et a Plinio et a Clemente commemorantur ab uno ex his quattuor auctoribus de quibus modo diximus pendent. Cuius rei exempla haec sunt:

| Plinius. | Clem. Alex. | |
|---|---|---|
| § 192. litteras . . in Graeciam intulisse e Phoenice Cadmum. | *Κάδμος δὲ Φοῖνιξ ἦν ὁ τῶν γραμμάτων Ἕλλησιν εὑρετής κτλ.* | = Aristot. ap. schol. in Dionys. Thr. (cf. p. 10.) |
| § 195. lapicidinas Cadmus Thebis aut, ut Theophrastus, in Phoenice. § 197. auri metalla et flaturam Cadmus Phoenix ad Pangaeum montem | *Κάδμος γὰρ ὁ Φοῖνιξ λιθοτομίαν ἐξεῦρε καὶ μέταλλα χρυσοῦ τὰ περὶ τὸ Παγγαῖον ἐπενόησεν ὄρος.* | |
| § 197. aes conflare et temperare Aristoteles Lyncum Scythen monstrasse, Theophrastus Delan Phrygem putant, ... ferrum Hesiodus in Creta eos qui vocati sunt Dactyli Idaei | *Κέλμις τε αὖ καὶ Δαμναμενεὺς οἱ τῶν Ἰδαίων δάκτυλοι*[1]) *πρῶτοι σίδηρον εὗρον ἐν Κύπρῳ* *Δέλας δὲ ἄλλος Ἰδαῖος εὗρε χαλκοῦ κρᾶσιν, ὡς δὲ Ἡσίοδος Σκύθης*[2]). | |

(§ 49), in alphabetico catalogo praeter Hesiodum poetam (§ 17) nullum scriptoris nomen excitatur"; at p. 24 ipse acute sane demonstrat § 1—4 (de Aegyptiis) quae catalogum alphabeticum inchoant ex Herodoto derivatas esse. Quod autem hic nomen Herodoti tacetur, ad „A corpusculi" indolem cognoscendam non refert, sed excerptoribus est tribuendum.

1) Quae verba Kaibel sic emendanda putat: *δύο τῶν Ἰδαίων δακτύλων σοφοί* vel *οἱ τῶν Ἰδαίων δακτύλων πρῶτοι* (quod ei minus probabile videtur).

2) De aeris temperatione apud Clementem Aristotelis et Theophrasti opiniones quas ex Plinio novimus citantur; sed

| Plinius. | Clem. Alex. |
| --- | --- |
| § 203. astrologiam Atlas Libyae filius, ut alii, Aegyptii ut alii Assyrii. | (Ἄτλας . . ὁ Λίβυς πρῶτος ναῦν ἐναυπηγήσατο) . . Αἰγύπτιοι γοῦν πρῶτοι ἀστρολογίαν εἰς ἀνθρώπους ἐξήνεγκαν, ὁμοίως δὲ καὶ Χαλδαῖοι. |
| § 204. Dorios (modulos) Thamyris Thrax | . . τὴν Δώριον (ἁρμονίαν) Θάμυριν ἐπινοῆσαι τὸν Θρᾷκα. |
| Phrygios Marsyas Phryx | Φρύγιον ἁρμονίαν καὶ μιξοφρύγιον καὶ μιξολύδιον Μαρσύαν τῆς αὐτῆς ὄντα τοῖς προειρημένοις χώρας (i. e. Phrygiae) |
| § 207. quadriremem (fecisse) Aristoteles (auctor est) Carthaginienses | Καρχηδόνιοι δὲ πρῶτοι τετρήρη κατεσκεύασαν, ἐναυπήγησε δὲ αὐτὴν Βόσπορος (Ἕσπερος Wachsmuth apud Kremmer. p. 34) αὐτόχθων. |

Discrepantias haud scio an in errore positas notabis hasce:

---

de altera quidem testis omnino non affertur, de altera non Aristotelis, sed Hesiodi testimonium additur. Unde apparet ab Aristotele Hesiodum fuisse citatum; ad hoc autem optime quadrat quod a Plinio quoque Hesiodus nominatur et de ferri quidem inventione quae apud utrumque scriptorem una cum aeris inventione tractatur (sed cf. Kremmer p. 30 sq.) — Scythae autem nomen quod apud Plinium est „Lydum" optime emendavit Micyllum secutus Knaack (Hermae XVI 587) ex Ovidii metam. V 650 sqq.: „Lyncum" (cf. Serv. Aen. I 323 = [Hygini] f. 259, quae ex hoc Ovidii loco petita sunt. — Ceterum de hoc nomine cf. p. 30 n. 4).

| | |
|---|---|
| § 204. obliquam tibiam Midas in Phrygia. | φασὶ δὲ καὶ τὴν πλαγίαν σύριγγα Σάτυρον εὑρεῖν τὸν Φρύγα[1]. |
| Lydios modulos Amphion (fortasse ex antecedentibus ‚musicam Amphion' in hunc locum delapsus). | "Ολυμπος ὁ Μυσὸς τὴν Λύδιον ἁρμονίαν ἐφιλοτέχνησεν' |

Possumus catalogos inter se in singulis rebus comparare cum etiam in genere dicendi et in ordine rerum simillimi sint; sed ex his Plinio et Clementi communibus non ita multum fructus ad utriusque fontes internoscendos nobis redundabit; verum in singulos auctores et imprimis in quattuor illos accurate inquirentes nonnihil novi lucrabimur. Hoc autem ne nos a proposito longius abducat verendum est[2].

Itaque nunc in eos tantummodo locos inquiramus quibus Aristoteles et Theophrastus auctores afferuntur.

Plinius.

§ 192. Aristoteles (de litterarum inventione).
§ 195. lapicidinas Cadmus Thebis
aut, ut Theophrastus, in Phoenice
§ 195. turris, ut Aristoteles, Cyclopes
Tirynthii, ut Theophrastus.
§ 197. aes conflare et temperare Aristoteles Lyncum Scythen monstrasse,
Theophrastus Delan Phrygem putant.
§ 205. picturam Aegyptii et in Graecia Euchir Daedali cognatus, ut Aristoteli placet,
ut Theophrasto Polygnotus Atheniensis.
§ 207. quadriremem Aristoteles Carthaginienses.

Tribus igitur locis de singulis inventionibus dissen-

1) Similiter variant quae supra composui Atlas Libyae filius = "Ατλας ὁ Λίβυς.

2) De Stratone cf. epim. I. — Philostephani quoque et Heraclidae Pontici vestigia compluribus locis optime cerni possunt; sed has res persequi hic supersedeo.

tientes Aristotelis Theophrastique opiniones iuxta ponuntur; quibus locus de lapicidinis (195) addendus esse videtur, ubi Aristotelis mentionem ante Theophrastum excidisse veri simillimum est. Praeterea nonnullis catalogi locis sub ‚aliis' illis quorum opiniones proponuntur, Aristotelem et Theophrastum latere suspicor.

Quibus ex locis certe non licet concludere Plinium ex Aristotelis et Theophrasti scriptis haec ipsum contulisse — hoc enim eo ipso vetatur quod Clemens Alexandrinus ea quae apud Plinium § 197 legimus coniuncta affert; cf. p. 4 — verum ita haec explicari possunt: aut scriptor aliquis ante Plinium quae de singulis hisce rebus et Aristoteles et Theophrastus dixissent diligentissime composuit (quod non satis veri simile est) aut ex libro Theophrasti illa fluxerunt qui Aristotelem tum potissimum citaret cum ab eo dissentiret, aut denique quod mihi quidem omnium videtur maxime probabile esse ex libro Aristotelico a Theophrasto postea edito qui suas opiniones adscripsit iis quae magister statuerat.

Quibus praemissis maximi momenti nobis est fragmentum aliquod Theophrasteum quod secundo casu servavit glossarium graeco-latinum Laudunense saec. IX ab E. Millero primo editum (Notices et extraits XXIX, 2, Parisiis 1880, p. 181, apud Roseum Aristot. q. fer. libr. fr. 1886 p. 396) quod fragmentum in codice inscriptum est ‚de inventione litterarum'. Quocum conferendus est locus ex initio catalogi inventionum Pliniani qui ad litterarum inventionem ipse pertinet:

| Gloss. Laud. | Plinii n. h. VII. 192. |
|---|---|
| *ΕΞ ΠΕΠΛΟ ΤΕΟΦΡΑΣΤΙ* | |
| Primi quidem invenerunt (sup. s. apud quosdam Caldei) litteras Aegiptii. Secundi Foenices unde foeniceae litterae dicuntur. In | Litteras semper arbitror Assyriis fuisse, sed alii apud Aegyptios a Mercurio ut Gellius, alii apud Syros repertas volunt utique |

| Gloss. Laud. | Plinii n. h. VII. 192. |
| --- | --- |
| Graeciam autem Cathmos Sidonius Agenoris filius detulit litteras. Sunt autem hae numero XVI: *ΑΒΓΔΕΙΚ ΛΜΝΟΠΡΣΤΥ*. Post vero Cathmum Palamidis filius Naucli grecus invenit *ΖΘΧΦ*. Deinde Simonidis filius Leopreppi *ΗΞΨΩ*. Fiunt omnes XXIIII. De inventione litterarum sic accepimus. | in Graeciam intulisse e Phoenice Cadmum sedecim numero *ΑΒΓΔΕΙΚ ΛΜΝΟΠΡΣΤΥ* quibus Troiano bello Palamedem adiecisse quattuor figuras *ΖΘΦΧ*, totidem post Simonidem melicum *ΗΞΨΩ*. quarum omnium vis in nostris recognoscitur [1]). |

Iam nemini puto dubium esse quin hoc Theophrasti fragmentum quamvis sit mutilatum cum loco Pliniano et in praecipuis singulis rebus et in ordine rerum tantopere congruat, ut alterum cum altero aliqua ratione cohaerere necessarium videatur; quodsi autem nonnulla paucis discrepant, hoc eo explicatur quod utroque loco exstant verba ex graeca lingua in latinam translata. Iam si reputaveris in paragraphis statim sequentibus Theophrastum ter et praeterea § 205 citari, statuendum videbitur Plinium, vel auctorem eius revera e libro Theophrasteo qui inscriberetur ‚*Πέπλος*' hausisse.

Sin autem quis de hoc ‚Peplo Theophrasti' dubitaverit, caveat ne Milleri, primi editoris, vestigia legat qui *ΠΕΠΛΟ* in *ΒΙΒΛΟ* mutandum esse coniecerat: qui lapsus ex ea tantum re nasci poterat quod vir ille doctus neque de Peplo Aristotelico unquam quidquam audisse videtur neque quod facilius erat condonandum de altero Theophrastei

1) Litteras graecas in Plinii codicibus satis turbatus critici variis modis restituere conati sunt; Sillig autem omnino de hoc loco desperavit. Sed veram scripturam, cum codices hac in re nihil probent, Rose (Aristot. fragm. 501) ex scholiis in Dionysium Thracem repetivisse mihi videtur quam eo maiore cum fiducia recepi quod cum Pepli fragmento consentit. Quae autem Detlefsen proposuit rei minime satisfaciunt.

Pepli fragmento, quod duodecim annis ante editum erat ab Usenero in Mus. Rhen. tom. 25 p. 605 sq., repertum autem est in scholiis in Martianum Capellam codicis Bernensis n. LVI$^{b}$ (IX saec.):

‚Corvinus rethor fuit. ipse est et corax [1]) siracusanus qui regulas theophrasti latinis tradidit'.

Quae ineptiae e sequentibus verbis graecis male intellectis fluxerunt quae Usener ita restituit:

‚ἐκ τοῦ πέπλου Θεοφράστου· τέχνην λόγων Κόραξ Συρακούσιος εὕρατο'.

Idem fragmentum in altero codice Bernensi (CCCXXXI) exstat, cf. Usener, l. l. p. 616 [2]).

Habemus igitur alterum Pepli Theophrastei testem

---

1) *Κόραξ* latine = Corvinus.

2) Non praetermittendum censeo utrumque fragmentum in eadem fere forma traditum esse, cum utrique fuerit inscriptum: *ἐκ (τοῦ) πέπλου Θεοφράστου* (quae in glossario quidem partim in linguam latinam sunt versa), tum sequuntur Theophrasti verba. Quae res si cuius momenti est, fortasse licet conicere utrumque fragmentum ex eiusdem excerptoris manibus prodiisse. Hoc quoque respicias et codicem et glossarium Laudunense saeculo nono scripta esse (Usener l. c. Miller l. c. p. 6 ‚fin du IX$^{e}$ siècle'). — Ceterum in Laudunensi quoque fragmento graecae originis vestigia tam sunt manifesta ut paene ad verbum videatur translatum esse: ‚primi quidem invenerunt' = *πρῶτοι μὲν εὗρον*, ‚de inventione litterarum sic accepimus' = *περὶ μὲν οὖν τῆς τῶν γραμμάτων εὑρέσεως οὕτως* (s. *ταῦτα*) *παρειλήφαμεν*. — Cur autem Rose (Aristot. fragm. 1886 p. 396) inter Pepli Aristotelei reliquias fragmentum Theophrasti Laudunense posuerit, Bernense neglexerit nescio. Quem virum doctissimum fragmenta Aristotelis quae de inventionibus agunt inter Politiarum reliquias non recte rettulisse inter omnes constat. Imprimis fr. 501 propter allatum Cadmi nomen ad Thebanorum Politiam pessime adnexuit. Quae Reipublicae Atheniensium tribuit fr. 344 et 348 (cf. Plin. n. h. VII 199) e fragmentorum collectione iure eiciunt Kaibel et Wilamowitz (edit. p. 91).

neque aptius quidquam in nostram quaestionem accidere poterat quam ut in hoc quoque fragmento de inventione aliqua ageretur. Iam si in libro illo Theophrasti inventio litterarum et inventio artis rhetoricae commemoratae erant, atque quae de illa quidem dicta erant Plinii catalogo materiam praebuerunt, necessarium videtur conicere et alia indidem in hunc catalogum fluxisse et praesertim ea de quibus Theophrasti testimonium advocatur.

Quae cum ita sint quaeratur necesse est qua ratione Aristotelis nomen quod a Plinio tribus locis cum Theophrasti nomine coniunctum citatur, cum Peplo Theophrasteo cohaereat. Priusquam autem hoc disceptemus agendum nobis de duobus fragmentis Aristotelicis in quibus litterarum inventio tractatur, quorum alterum exstat in scholiis in Dionysium Thracem (Bekk. Anecd. II 783, 1 sq. corruptum ib. 786, 1 sq. et in Crameri Anecd. Ox. IV 318):

> *τῶν στοιχείων εὑρετὴν ἄλλοι τε καὶ Ἔφορος ἐν δευτέρῳ Κάδμον φασί· τινὲς δὲ τῆς Φοινίκων εὑρέσεως πρὸς ἡμᾶς διάκτορον γεγενῆσθαι, ὡς καὶ Ἡρόδοτος ἐν ταῖς ἱστορίαις καὶ Ἀριστοτέλης λέγει. φασὶ γὰρ ὅτι Φοίνικες μὲν εὗρον τὰ στοιχεῖα, Κάδμος δὲ ἤγαγεν αὐτὰ εἰς τὴν Ἑλλάδα*[1]).

Quae cum ad verbum fere cum Pepli Theophrastei fragmento congruant, ostendunt hoc ex parte quidem ab Aristotele pendere.

Iam vide alterum fragmentum quod apud Plinium ea ipsa quae e Peplo Theophrasti fluxerunt excipit:

> Aristoteles decem et octo (litteras) priscas fuisse et duas **ab Epicharmo additas** *ΘΧ* **quam a Palamede mavolt.**

Nimirum de Palamede Aristoteles nihil dixit, sed hunc Theophrastus demum induxit; apparet igitur Theophrastum

---

1) Muelleri et Rosei emendationes recepi.

cum in Peplo suo de litterarum inventione dissereret, in aliis magistri sui vestigia legisse, in aliis ab eo discessise [1]).

Iam cum prorsus eodem modo de aliis inventionibus ab eo dissentiat, in memoriam nobis revocanda sunt quae supra (p. 7) de ratione quae inter haec ‚εὑρήματα‘ Aristotelica et Theophrastea intercedere posset exposuimus. Quodque ibidem veri simillimum esse diximus, librum ex quo illa fluxerunt ex numero Aristotelico-Theophrasteorum (si ita dicere licet) fuisse, optime confirmabitur si a ‚Peplo Theophrasti‘ iam ad ‚Peplum Aristotelis‘ transierimus.

Non dubito quin primo aspectu nemo fere mihi credat in Aristotelis Peplo inventa illa tractata fuisse quae a Plinio sub Aristotelis nomine commemorantur. Etenim quae de hoc libro vulgatae sunt opiniones ab ea quam prolaturus sum satis abhorrent. Ut alia omittam, nuperrime W. Christ (Gesch. der griech. Litter.[2] p. 527) haecce proposuit, sed ne uno quidem argumento probare conatus est: ‚Ähnliche Sammlungen von Epigrammen waren in der Kaiserzeit noch mehrere entstanden: — — — ein gewisser Aristoteles dichtete einen zum großen Teil erhaltenen und von Ausonius übersetzten Peplos von Epitaphien auf die Helden von Troja‘, quae post doctissimam illam Schneidewini commentationem ‚De Peplo Aristotelis Stagiritae‘ qua ‚Philologum‘ suum anno MDCCCXLVI inauguravit, scripta esse vix quisquam crediderit. Perversissime enim dixit

1) Aptum videtur hoc loco Dielsii verba apponere (‚Über das dritte Buch der Aristotelischen Rhetorik, in ‚Abh. der Akad. zu Berlin‘, 1886, p. 25): ‚Das Verhältnis des Theophrast zu seinem Lehrer und Freunde ist ein rührendes Beispiel von Schülerpietät. Wo er die Lücken der Aristotelischen Encyklopädie selbständig ausfüllt, gewahren wir doch überall einen liebevollen Anschluß an die Lehre, die Methode, ja sogar an zufällige Äußerungen des Meisters. Wo er dagegen dieselben Disciplinen behandelt, die bei Aristoteles be-

Christ ,dichtete' atque ,einen Peplos von Epitaphien', nam etsi in ,Ἀριστοτέλους πέπλῳ' qualem noverat Porphyrius (ap. Eustath. in Hom. Il. *B* 557 p. 285 = Rose (1886) p. 394) epigrammata illa quae in codice Laurentiano servata sunt inerant, tamen ex hoc ipso Porphyrii testimonio id quoque discimus haec epigrammata partem tantum libri effecisse, praeterea enim in eo fuisse γενεαλογίας ἡγεμόνων et νεῶν ἑκάστων ἀριθμόν. De epigrammatis infra fusius disserendum est; unde vero Christ didicerit, ,Aristotelem quendam' (quem iam Tzetzes noverat, proleg. comment. in Hesiodi Op. p. 15 Gf., et ante eum grammaticus non multo ingeniosior, cf. Bergk. PLG II[4] 340 sq.) imperatorum romanorum temporibus praeclarissimum illud carmen ,epitaphiorum' condidisse, neminem unquam perspecturum esse existimo.

Sed ne diutius in hac Christii opinione moremur, ne

---

reits eine Bearbeitung gefunden haben, ist der Anschluß meist ein ganz enger, wenn er auch mit gelegentlichem scharfem Widerspruch nicht zurückhält (Quintil. III 8, 62). Genaueres teilt uns hierüber aus gut unterrichteter Quelle (Porphyrios) Boethius mit (in Hermen II. 12, 7 Meiser): In omnibus de quibus ipse disputat post magistrum leviter ea tangit quae ab Aristotele dicta ante cognovit, alias vero diligentius res non ab Aristotele tractatas exsequitur'. — De Corace quoque τέχνης ῥητορικῆς inventore Theophrastus ἐν πέπλῳ Aristotelis sententiam secutus esse videtur: Cicero Bruti cap. 12 ,Itaque ait *Aristoteles* cum sublatis in Sicilia tyrannis res privatae longo intervallo iudiciis repeterentur, tum *primum* quod esset acuta illa gens, e controversia natam *artem et praecepta* Siculos *Coracem* et Tisiam conscripsisse; nam antea neminem solitum via nec arte, sed accurate tamen et descripte plerosque dicere' eqs. — Cf. Aristot. de soph. elench. p. 183b (Τισίας μετὰ τοὺς πρώτους . . . .); Rhet. II. 24, Rhet. ad Alex. 1 (Coracis τέχνη). — Praeterea de Corace cf. Proleg. in Hermogenem (p. 24 sq. Spengel): τὸν Κόρακα τὸν ἐφευρόντα τὴν ῥητορικὴν κτλ.

ea quidem quae Porphyrius Peplum continuisse testatur totum librum explevisse praeter ipsum titulum ‚Πέπλος‘ qui per se varietatem argumenti indicat, index operum Aristotelis Hesychianus ostendit ubi enumeratur (169) πέπλος· περιέχει δὲ ἱστορίαν σύμμικτον.

Deinde autem unum habemus Pepli fragmentum quod et variae historiae exemplum praebet cum ad genealogias non spectet, et nos ad quaestionem de inventionibus supra relictam reducit cum εὑρήματα contineat. Fragmentum enim illud servatum in scholiis in Aristidis Panathenaicum p. 323 Dindf. (= Rose fr. 637) ordinem exhibet quo ἀγῶνες Graecorum instituti sint. Quae autem si quis dubitet inter ea referre quae a scriptoribus περὶ εὑρημάτων tractari solebant, aut legat haec Strabonis (VIII 354 ex Ephoro sumpta, cf. epim. I): καὶ ὁ ἀγὼν εὕρημά ἐστιν ἐκείνων (sc. τῶν Αἰτωλῶν) ὁ Ὀλυμπιακός, aut inspiciat catalogi Pliniani § 205 ubi quinque ludorum institutiones enumerantur; referebantur igitur profecto inter inventiones.

Sed iam longius progredi et possumus et debemus; conferas enim cum his Plinianis fragmentum Pepli Aristotelici:

| | |
|---|---|
| (1. Ἐλευσίνια) | Plin. VII 205. |
| (2. Παναθήναια) | |
| (3. ὃν ἐν Ἄργει Δαναὸς ἔθηκε.) | |
| τέταρτος ὁ ἐν Ἀρκαδίᾳ τεθεὶς ὑπὸ Λυκάονος ὃς ἐκλήθη Λύκαια· | ludos gymnicos in Arcadia Lycaon, |
| πέμπτος ὁ ἐν Ἰωλκῷ Ἀκάστου καθηγησαμένου ἐπὶ Πελίᾳ τῷ πατρί· | funebris Acastus Iolco, |
| ἕκτος ὁ ἐν Ἰσθμῷ Σισύφου νομοθετήσαντος ἐπὶ Μελικέρτῃ· | post eum Theseus in Isthmo, |
| ἕβδομος ὁ Ὀλυμπιακὸς Ἡρακλέος νομοθετήσαντος ἐπὶ Πέλοπι· | Hercules Olympiae, |

| | |
|---|---|
| (8. ὁ ἐν Νεμέᾳ) | |
| (9. ὁ ἐν Τροίᾳ) | |
| δέκατος ὁ Πυθικὸς ὃν οἱ Ἀμφικτύονες ἐπὶ τῷ Πύθωνος φόνῳ ἔθηκαν. | athleticam Pythus |

Quinque igitur eorum agonum quos Aristoteles enumerat, apud Plinium desunt; cum vero quinque reliqui eodem ordine et iisdem fere verbis commemorati sint atque in Peplo, illos quidem intercidisse aut a Plinio auctoribusve eius neglectos aut a librario omissos necessarium est ponere, reliquorum autem memoriam per nescio quem auctorem e Peplo in Plinii catalogum pervenisse[1]); ad quod optime quadrat quod statim post ludorum enumerationem et Aristoteles et Theophrastus a Plinio citantur. Quod autem de Isthmiorum conditore Aristoteles et Plinius dissentiunt, id infra (p. 25 sq.) explicaturum me esse spero; dum id praestitero, ad removendam hanc difficultatem sufficiat ponere Plinium non ex ipso Peplo hausisse.

Vidimus igitur quamvis Pepli et Aristotelici et Theophrastei fragmenta nulla fere exstent tamen utriusque vestigia in eodem inventionum catalogo Pliniano deprehendi. Iam vero de duobus Peplis loqui licere mihi quidem non videtur, sed ut breviter dicam unum tantum Peplum exstitisse credo. Primum enim ita solum explicatur quod non modo in catalogo Pliniano et apud Clementem sed etiam apud alium scriptorem (cf. p. 29) et Aristotelicae et Theophrasteae illae reliquiae eodem fere

1) Plinii locum prorsus eandem speciem prae se ferre ac Pepli fragmentum et quod quinque agones desunt casu esse factum hac re demonstratur: Aristoteles inter agones cum quattuor illos enumerat qui revera exstabant et celebrabantur, tum eos qui in fabulis semel facti esse dicebantur, velut Peliae aliorumque ludos funebres; utrumque autem genus inter se diversissimum apud Plinium quoque invenitur. Nemei praecipue ludi quod desunt non nisi casu accidisse potest.

loco apponuntur, deinde quod pars fragmenti Theophrastei Laudunensis cum fragmento aliquo Aristotelis quo eadem res tractatur ad verbum consentit (p. 10), tum quod Plinius compluribus locis Aristotelis et Theophrasti de eadem inventione opiniones artissime coniunctas affert ubi hic sententiam illius correxisse sibi videbatur (quae e Peplo Theophrasteo fluxisse coniciendum putavimus, p. 6 sqq.). Omnino denique facilius cogitari potest hanc variam historiam ab Aristotele congestam necdum editam (quam nos collectanea sive miscellanea diceremus) a Theophrasto auctam et in libri formam redactam esse. Itaque, quamquam hoc certis argumentis evinci nondum potest, statuendum puto unum fuisse Peplum qui de rerum artiumque inventoribus et de aliis rebus mythologicis historicisque et Aristotelis et Theophrasti sententias exhiberet. Qui liber cum neque huic neque illi totus fuisset tribuendus, fortasse hac de re in Aristotelis Theophrastique operum indices apud Diogenem Laertium servatos non receptus est (ab Hesychio autem inter Aristotelis opera recensetur; cf. p. 13).

Iam cum catalogi Pliniani satis magnam partem ex Peplo pendere cognoverimus, similiter de Clementis Alexandrini inventionum indice iudicandum est. Qui scriptor etsi aeque ac Plinius ex ipso Peplo non hausisse videtur (ut in epim. I demonstrare studebimus) tamen titulum libri illius satis insolitum [1]) fortasse non solum novit sed etiam imitatus est, cum libris suis propter argumenti varietatem nomen magis quaesitum Στρωματεῖς imponeret, cf. p. 565 P, quo sane antea iam Caesellius Vindex (Gr. L. II 210) usus est (quem Gell. N. A. praef. respicit, nam hausit ex eo II 16, 5 et saep.), tum etiam Ps. Plutarchus (Euseb. pr. ev. I 7, 16) cf. Dielsii Doxogr. p. 156 sq.

1) De titulo ‚πέπλος‘ cf. Ciceron. ad Atticum XVI 11, 3

Peplum igitur aut eam certe Pepli partem quam huc usque tractavimus iis libris inseremus quos περὶ εὑρημάτων scripserunt praecipue Peripatetici: *Theophrastus* (Laert. Diog. V 47 περὶ εὑρημάτων α'β')[1]) *Strato* (,qui contra Ephori εὑρήματα scripsit' Plin. n. h. ind. l. VII; librum ipsum Diog. V 60 εὑρημάτων ἐλέγχους δύο appellat) *Heraclides* Ponticus (Diog. V 88 π. εὑρ.). Quorum studiis et libris videtur positum esse fundamentum in quo deinceps ea disciplina quam nos dicimus ,Kulturgeschichte' exstructa est a Dicaearcho in clarissimo libro qui inscriptus erat *Βίος Ἑλλάδος*. Atque eorum librorum quibus Dicaearchus in hisce rebus niti poterat antiquissimus fere Peplus fuisse videtur. Hic autem praeter εὑρήματα alias res continebat, velut genealogias heroum qui bello troiano interfuerunt et navium eorum numerum (cf. Porphyrii

,πεπλογραφίαν Varronis tibi probari non moleste fero' quae verba ad Imagines spectare viri docti haud inepte coniecerunt. Quamquam hoc non ita certum est ut M. Schmidt Philol. XXIII 57 recte haec dixerit: „wenngleich der Ausdruck πεπλογραφία, dessen sich Cicero ad Att. . . . . für Varros Hebdom. l. XV bedient, den Schluß erlaubt, daß letzterer im Glauben an Aristoteles Autorschaft diese Form zum Vorbild gewählt habe". Nam cum plerique putarint propter epigrammata Varronis opus ita a Cicerone esse appellatum, mihi quidem ad veri speciem propius videtur accedere Ciceronem cum haec diceret varietatem argumenti (ποικίλην vel σύμμικτον ἱστορίαν) spectasse. Minime autem ex hac epistola sumere licet (ut Schmidt fecit) Varronem Aristotelis Peplum novisse et imitatum esse.

1) Quae inter hos libros et Peplum Theophrasti ratio intercesserit explorari vix poterit. — Aristotelis librum περὶ εὑρημάτων scriptum non exstitisse recte monuit Kremmer p. 21 adn. Pleraque igitur quae de inventis sub Aristotelis nomine supersunt fragmenta Peplo tribuenda erunt.

testimonium, p. 12); sed haec quoque cum studiis illis biologicis et praesertim cum inventionibus antiquissimis fabuloso quodam vinculo cohaerebant [1]). Nam permulta inventa imprimis a biologis peripateticis ad heroum tempora referebantur (cf. epim. I sub fin). A mythographis autem iisque auctoribus qui inde hauserunt inventiones fabulosae tam crebro tractantur ut vel hoc nos allicere possit ad investigandam rationem quae inter heurematographos et mythographos intercedere videatur. Et apud unum quidem ex his mythographis Pepli Aristotelici et Theophrastei vestigia plana atque perspicua sunt, apud Hyginum ad quem nunc transimus.

Capita Hyginiana 224—277 quomodo sint composita in altero epimetro demonstrabitur. Quod autem ibi argumentis fulciendum erit, iam hoc loco breviter indicare oportet. In Hygini enim libello qualem anno 207 p. Chr. n. Dositheus legit, maior pars horum capitum defuisse videtur, certe autem inerant 225. 273. 274 + 277. 275 [2]). Haec vero nunc non integra habemus, sed iidem homines qui his enumerationis exemplis usi cetera ex Hygini fabulis conflarunt, genuina illa capita iisdem adiumentis ex Hygini libro petitis supplere conati nonnusquam interpolaverunt. Quae additamenta e capitibus (225 et) 275 a

1) Ex navium numeris quos Boeotia Homeri praebet iam Thucydidem (I 10 sq.) de prisca civitatum graecarum potentia et magnitudine nonnulla collegisse Kaibel me monuit. — Epigrammata sane ad *Βίον Ἑλλάδος* scribendum superflua erant.

2) Cap. 274 et 277 olim unum fuisse veri est simillimum; cf. Knaack Herm. XVI 586; qui sane quae ib. promisit: „M. Schmidt glaubt mit Unrecht, wie mir scheint, Cap. 274 sei ursprünglich die Fortsetzung von 277 gewesen. Darüber unten noch ein Wort“ non solvit. — Praeterea cf. Kremmer p. 87 sq.

nobis eiecta (cf. epim. II) mox in ceteris deprehendemus.

Unum ex his quinque (vel quattuor) capitibus, 273 ‚qui primi ludos fecerunt' cum fragmento Pepli in scholiis in Aristid. Panathen. servato adeo congruere ut ex hoc fluxisse videatur, viri docti iam pridem cognoverunt, cum autem accuratius inquirere supersedissent, difficultatem quandam non modo non solverunt, sed ne viderunt quidem. Nam Hygini caput 273 cum Peplo in singulis rebus non prorsus concinit, sed primum offendit quod Hyginus quinque agones affert qui in Peplo desunt, quos sexto, septimo, undecimo, tertio decimo, quinto decimo loco ponit. Quos si accurate perlustramus, ea quidem quae de sexto agone dicuntur iisdem fere verbis in Hygini fab. 170 (p. 34, 4 sq. ed. Schmidt.) exstare videmus. Quod ut melius cognoscatur utrumque locum appono:

| fab. 170. | cap. 273. |
|---|---|
| qui cum Danaus perisset primusque Abas ei nuntiasset Lynceus circumspiciens in templo quid ei muneri daret, casu conspexit clipeum quem Danaus consecraverat Iunoni quem in iuventa gesserat: refixit et donavit Abanti ludosque consecravit qui quinto quoque anno aguntur qui appellantur ἀσπὶς ἐν Ἄργει, quibus ludis cursoribus corona non datur sed clipeus. | sexto autem iterum Argis quos fecit Lynceus Aegypti filius Iunoni Argivae qui appellantur ἀσπὶς ἐν Ἄργει. quibus ludis qui vicit accipit pro corona clipeum ideo quod Abas Lyncei et Hypermnestrae filius nuntiavit Danaum parentibus perisse. cui Lynceus de templo Iunonis Argivae detraxit clipeum quod (l. quem) Danaus in iuventa gesserat et Iunoni sacraverat et Abanti filio muneri dedit. (in his ludis qui semel vicit et iterum descendit ad certamen ut nisi iterum vincat saepe descendat) †. |

Prorsus autem eandem rationem intercedere videmus in septimo agone inter f. 63 (p. 62, 8 sq.) et c. 273:

| fab. 63. | cap. 273. |
|---|---|
| Perseus Acrisio avo suo fidem dedit se eum nunquam interfecturum. Qui cum tempestate retineretur Polydectes moritur (sec. 62, 3 in Seripho insula). cui cum funebres ludos facerent, Perseus disco misso quem ventus distulit infregit caput Acrisii et eum interfecit. ita quod voluntate sua noluit deorum factum est. | septimo autem loco Perseus Jovis et Danaes filius funebres Polydectae nutritori suo in insula Seripho: ubi cum luctatur percussit Acrisium avum suum et occidit. itaque quod sua voluntate noluit, id deorum factum est numine. (ultimum enuntiatum non recte uncis saepiunt.) |

Iam igitur deprehendimus interpolatorem quem in cap. (225 et) 275 reliquisque sub finem libri positis optime cognoscimus.

Itaque cum constet sextum et septimum agonem in huius capitis fonte non exstitisse, sed e duobus fabularum locis supplendi causa additos esse, quaerendum est num in ceteris tribus qui in Peplo desunt idem accidisse videatur. Et profecto ea quae ‚undecimo loco' afferuntur cum fab. 16 quodammodo consentiunt nisi quod in hac ludi funebres in Cyzici honorem facti non commemorantur. Sed haud scio an is qui huius agonum indicis additamenta scripsit, fabulam illam 16 minus mutilatam ante oculos habuerit quam nos habemus (ut in ceteris quoque indicibus satis multa inveniuntur quae olim in ipsis fabulis exstabant, ubi nunc desiderantur, cf. epim. II); etenim eo Apollodori loco qui cum fabula Hyginiana ad verbum fere congruit (I 9, 18) et mors Cyzici amplius describitur et sollemnia funera enarrantur. Ceterum facile fieri poterat ut haec funera interpolator qui alioquin in errores multo graviores delapsus est (cf. epim. II) in ludos funebres mutaret. Porro conferas haec:

| fab. 91. | cap. 273. |
|---|---|
| postquam Hecuba peperit Alexandrum, *datur inter-* | tertio decimo fecit in Ilio Priamus cenotaphium Paridi |

| | |
|---|---|
| *ficiendus.* — — . taurum . . . . *qui in athlo funebri quod ei fiebat* poneretur. — — illi indicant se eum ad Priamum adducere† qui vicisset ludis funebribus Alexandri. ille amore incensus tauri sui *descendit in certamen* et omnia vicit, fratres quoque suos superavit. indignans Deiphobus gladium ad eum strinxit . . . . . Priamus eum agnovit regiaque recepit. | quem natum iusserat interfici et gymnicos in quibus certati sunt cursu Nestor Nelei f., Helenus Priami f., Deiphobus eiusdem Polites eiusdem . . . Paris Alexander pastor Priami ignarus filius. vicit autem Paris et inventus est esse Priami filius. |

Nomina sane eorum qui certaverunt, in fab. 91 desunt nisi quod Paris ipse et fratres eius (quorum Deiphobus nominatim affertur) inter eos recensentur; reliqua autem quae in cap. 273 adduntur, non solum doctum fontem non produnt, sed etiam Nestoris nomen hoc loco ineptissimum est.

Quae cum ita sint vides M. Schmidtium non recte ultimum solum agonem, ludos funebres in Anchisae honorem ab Aenea factos interpolatori tribuisse, sed prorsus eiusdem generis esse haec ac cetera quae spuria esse demonstravimus. Cur autem hos ludos addiderit quaerere non opus est; cum ei displiceret quod Romanorum fabulae prorsus neglectae essent, Anchisae ludos funebres enarravit, fusius nimirum et copiosius quam ceteros, nam habebat fontem ad eos describendos largiorem, Vergilii Aeneidos librum quintum. (Similiter ad indices nonnullos componendos Vergilii et Ovidii carmina adscivit; cf. epim. II.)

Sed obiciat fortasse aliquis si ludi ‚sexto, septimo, undecimo, tertio decimo loco‘ enarrati ex fabulis Hygini in cap. 273 translati sint idem valere de Nemeis, idque ex his locis comparatis apparere:

| fab. 74. | cap. 273. |
| --- | --- |
| septem ductores qui Thebas oppugnatum ibant devenerunt in Nemeam, ubi Hypsipyle . . . puerum Archemorum sive Ophelten Lyci regis filium nutriebat. — — draco fontis custos puerum exedit. at draconem Adrastus et ceteri occiderunt . . . . . ludosque puero funebres instituerunt qui quinto quoque annó fiunt in quibus victores apiacam coronam accipiunt. | nono loco facti sunt in Nemea Archemoro Lyci et Eurydices filio quos fecerunt septem duces qui Thebas ibant oppugnatum; in quibus ludis postea vicerunt Euneus et Deipylus Iasonis et Hypsipyles filii. |

Nonnulla in his mire consentire negari non potest; imprimis memorabile est quod utroque loco Archemori pater Lycus appellatur, non Lycurgus ut apud ceteros mythographos (e. g. Apollod. I 9, 14 III 6, 4, 2; Tzetz. in Lycophr. 373). Sed haec contra consideres velim: primum enim in c. 273 nonnulla exstant quae in f. 74 desunt, Eurydices nomen et quae de Hypsipyles filiis dicuntur [1]). Quamquam hoc ita fortasse explicari possit ut ponatur fabulam 74 ei qui cap. 273 interpolavit pleniorem ante oculos fuisse quam nobis. Sed gravissimum argumentum est hoc, Nemea quae in quattuor magnorum agonum numero erant, in eo catalogo a quo cap. 273 pendet etiamsi non a Peplo pendet deesse nullo modo potuisse. Itaque ea quae utrique loco Hyginiano communia sunt a capitis 273 interpolatore qui fab. 74 novit addita esse videntur.

Sed nescio an quis ita nobiscum pugnaturus sit, ut

1) Haec quodammodo cohaerere videntur cum iis quae in fab. 74 de Hypsipyla et Archemoro narrantur, sed qualis necessitudo intercedat ego non video.

contendat eorum ludorum quos supra attulimus mentionem in cap. 273 genuinam esse atque inde in singulas fabulas pervenisse. Si res ita se haberet, cap. 273 sane cum Peplo non congrueret, sed multo amplius esset quam illius catalogus agonum. At etiamsi non magni faceres quod miro fere casu ii soli agones qui in Peplo desiderantur in fabulas translati essent, tamen concedendum esset in fabulis ubi res copiosius narrantur eos prius commemoratos fuisse. His expositis nullius fere momenti est quod Isthmiorum in fab. 2 mentio fit (p. 39, 4): ‚huic (Melicertae) quinto quoque anno ludi gymnici fiunt qui appellantur *Ἴσθμια*'; cf. c. 273: ‚Isthmia Melicertae Athamantis filio et Inus fecisse dicitur Sisyphus' eqs. Quorum locorum si alter ab altero penderet, ea quae in f. 2 leguntur ex c. 273 fluxissent; sed verba ‚quinto quoque anno' qui in hoc desunt, alium fontem indicare videntur [1]).

Iam si de iis ludis quaerimus qui in mutilato capitis 273 initio interciderunt, non possunt fuisse alii nisi ii qui in Peplo quidem exstant, apud Hyginum autem non inveniuntur, nempe:

Eleusinia
Panathenaea
Lycaea
Pythia [2]).

Iam caput Hyginianum cum Peplo prorsus consentit nisi quod in illo ordo satis est corruptus. Hoc autem si

---

1) Cum in capitis 273 initio Pythiorum mentio deleta sit, conicere non licet quae ratio intercesserit inter hunc locum et fab. 140 (p. 18): ‚Apollo . . . Pythonem sagittis interfecit . . . ludosque funebres ei fecit qui ludi Pythia dicuntur'.

2) Idem fere Peplo non respecto de hac lacuna statuit Carolus Lange De nexu inter C. Iulii Hygini opera mythologica (Moguntiae 1865) p. 16.

totius fabularum libri, qualem quidem nunc habemus, condicionem supra modum turbatam respicimus, nullius momenti est [1]).

Sed nihil superfluum me facturum esse existimavi si Pepli ,τάξιν ἀγώνων' cum iis quae in Hygini capite eiectis eiciendis restant, componam addamque quae apud Plinium repperimus e Peplo petita [2]).

| Aristoteles in Peplo. | Hygini c. 273. | Plinii n. h. VII 205. |
|---|---|---|
| πρῶτα μὲν τὰ Ἐλευσίνια διὰ τὸν καρπὸν τῆς Δήμητρος. | (? primo loco Eleusinia) | |
| δεύτερα δὲ τὰ Παναθήναια ἐπὶ Ἀστέρι τῷ γίγαντι ὑπὸ Ἀθηνᾶς ἀναιρεθέντι· | (? secundo Panathenaea) | |
| τρίτος ὃν ἐν Ἄργει Δαναὸς ἔθηκε διὰ τὸν γάμον τῶν θυγατέρων αὐτοῦ· | quinto loco Argis quos fecit Danaus Beli f. filiarum nuptiis cantu, unde hymenaeus dictus | |
| τέταρτος ὁ ἐν Ἀρκαδίᾳ τεθεὶς ὑπὸ Λυκάονος ὃς ἐκλήθη Λύκαια | (? tertio in Arcadia quos fecit Lycaon). | ludos gymnicos in Arcadia Lycaon, |
| πέμπτος ὁ ἐν Ἰωλκῷ Ἀκάστου καθηγησαμένου ἐπὶ Πελίᾳ τῷ πατρί· | duodecimo autem Argis quos fecit Peliae Acastus filius. his ludis vicerunt eqs. | funebris Acastus Iolco, |
| ἕκτος ὁ ἐν Ἰσθμῷ Σι- | decimo Isthmia Me- | |

1) Quamquam Otto Schneider Callim. II 55 ex hoc Hygini ordine solum argumentum sibi finxit ut demonstraret Hyginum haec non ex Peplo sed e Callimachi Aetiis sumpsisse quippe qui ordinem ab Aristotele constitutum ut poeta libere mutasset. Sed haec refutare non opus est.

2) Sine dubio is agonum ordo quem praebet mutilum Helladius in chrestomathia (ap. Phot. bibl. cod. 279 p. 533[b] 29 Bekker) ad Peplum redit quamquam nonnullis differt quae hoc quidem loco explicare non possum.

| Aristoteles in Peplo. | Hygini c. 273. | Plinii n. h. VII 205. |
| --- | --- | --- |
| σύφου νομοθετήσαντος ἐπὶ Μελικέρτῃ· | licertae Athamantis filio et Inus fecisse dicitur (Sisyphus ut ait) † eratocles, alii poetae dicunt Theseum. | post eum Theseus in Isthmo, |
| ἕβδομος ὁ Ὀλυμπιακὸς Ἡρακλέους νομοθετήσαντος ἐπὶ Πέλοπι· | octavo loco fecit Hercules Olympiae gymnicos Pelopi Tantali filio, in quibus ipse contendit pammachio quod nos pancratium vocamus cum Leucaro [1]). | Hercules Olympiae, |
| ὄγδοος ὁ ἐν Νεμέᾳ ὃν ἔθηκαν οἱ ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας ἐπὶ Ἀρχεμόρῳ· | nono loco facti sunt in Nemea Archemoro Lyci et Eurydices filio quos fecerunt septem duces qui Thebas ibant oppugnatum; in quibus eqs. | |
| ἔνατος ὁ ἐν Τροίᾳ ὃν Ἀχιλλεὺς ἐπὶ Πατρόκλῳ ἐποίησεν· | quarto decimo Achilles Patroclo funebres in quibus Aiax vicit eqs. | |
| δέκατος ὁ Πυθικός, ὃν οἱ Ἀμφικτύονες ἐπὶ τῷ Πύθωνος φόνῳ ἔθηκαν· | (? quarto loco Pythia) | athleticam Pythus. |

Vix opus est addere ne in iis quidem ludis quorum mentio certissime Peplo debetur, omnia verba ex hoc libro petita, sed in his quoque multa interpolata esse posse, velut victorum nomina; quamquam veri simile est Pepli

1) Cf. Dionis Chrys. or. 37 (II 297, 1 Dind.): δεῖ δὲ καὶ τοὺς ἄλλους ἐπείπερ ἠρξάμεθα ἀθλοφόρους τε λεχθῆναι καὶ νικηφόρους. Ὀρφεὺς κιθάρᾳ, Ἡρακλῆς παμμάχιον, πυγμὴν Πολυδεύκης κτλ.

fragmentum quale scholiasta Aristidis servavit satis esse decisum.

In iis quae de Olympiis dicuntur, pro tradito nomine ‚Achareo' Schneiderum (Callim. II 66) secutus ‚Leucaro' scripsi; hoc enim nomen in schol. Pind. Nem. III 27 exstat ubi haec legimus: *εἰσὶ δὲ οἳ τὸ παγκράτιον ἀπαρχαΐζοντες καὶ τὸν Θησέα φασὶ τῷ Μινοταύρῳ παγκρατιαστικῶς ἀγωνίσασθαι. Ἀριστοτέλης δὲ Λεύκαρόν φησι τὸν Ἀκαρνᾶνα πρῶτον ἔντεχνον τὸ παγκράτιον ποιῆσαι.* Hunc autem ipsum locum Peplo tribuerim; scilicet inde ab Aristotelis nomine, nam quod ii qui pancratium a Theseo inventum putabant ut *ἀπαρχαΐζοντες* vituperantur minime ad Hygini (Aristotelis) narrationem de Herculis Leucarique certamine quadrat.

Restat ut coniecturam fortasse paulo audaciorem proponam. De Isthmiis institutis haec traduntur: ‚decimo Isthmia Melicertae Athamantis f. et Inus fecisse dicitur † eratocles. alii poetae dicunt Theseum'. Lacunam quidem recte explevit Bunte: ‚⟨Sisyphus ut ait⟩', nam in corrupto nomine ‚eratocles' non Isthmiorum conditorem sed scriptorem aliquem vel poetam latere verba sequentia ostendunt. Cuius auctoris nomen O. Schneider Callim. II, 53 restituebat ‚Patrocles', de quo viro nihil scimus nisi quae Plutarchus quaest. conv. V 3, 4 exhibet (cum quibus statim compono alterum locum sine dubio ex eodem fonte petitum):

Plutarchus.

*ἔτι δὲ οἶμαι Πατροκλέους* (*Προκλέους* ed. Duebneriana) *ἐντετυχηκέναι γραφῇ περὶ τῶν Ἰσθμίων ἱστοροῦντος ὅτι τὸν πρῶτον ἀγῶνα ἔθεσαν περὶ στεφάνου πιτυΐνου· ὕστερον δὲ τοῦ ἀγῶνος ἱεροῦ γενομένου ἐκ τῆς Νεμεακῆς*

Schol. in Apollonii Argon. III. 1240.

*Ἴσθμια τὰ ἐν Ἰσθμῷ τελούμενα τῆς Κορίνθου πρότερον μὲν τῷ Ποσειδῶνι, ὕστερον δὲ Μελικέρτῃ κατὰ κέλευσιν τοῦ βασιλεύοντος Σισύφου τοῦ Αἰόλου. ὅτε προσβρασθὲν τὸ τοῦ Μελικέρτου σῶμα ἰδὼν τῇ Κορίνθῳ ἐπέγνω ἀδελφιδοῦν ὄντα*

πανηγύρεως μετήνεγκαν ἐνταῦθα τὸν τοῦ σελίνου στέφανον. ὁ δὲ Πατροκλῆς οὗτος ἦν εἷς τῶν ἐν Ἀκαδημίᾳ Ξενοκράτει συσχολασάντων [1]).

καὶ Ἀθάμαντος τοῦ Αἰόλου υἱὸν ἐτίμησεν ὡς ἔδει, καὶ τῷ ἀγῶνι τῷ Ἰσθμικῷ, ἐν ᾧ οἱ νικῶντες πίτυϊ ἐστέφοντο πάλαι ὕστερον δὲ ξηρῷ σελίνῳ. Μουσαῖος δὲ ἐν τῷ περὶ Ἰσθμίων δύο φησὶ γίνεσθαι ἀγῶνας ἐν Ἰσθμῷ, καὶ τὸν μὲν Ποσειδῶνος εἶναι, τὸν δὲ Μελικέρτου.

Verisimile igitur sane est dixisse Patroclem illum Isthmia in Melicertae honorem instituta esse; sed cum sciremus Hyginum in c. 273 totum ex Aristotelis Peplo pendere, mirum sine dubio esset si de hac re quam in ipso Peplo quisque legebat auctor tam remotus advocaretur. Praeterea Hyginus id ipsum de quo Patroclis testimonium adhibet Plutarchus, duplicem ludorum institutionem et coronae mutationem omnino non tangit. Itaque facere non possum quin hoc loco Aristotelis nomen esse restituendum coniciam; quod nullam fere praebet difficultatem; nam ‚aristoteles‘ in ‚eratocles‘ non minus facile abire potuit quam ‚patrocles‘ [2]). Quae emendatio satis lenis eo mihi videtur postulari quod revera Aristoteles haec de Isthmiarum institutione dixit quae Hyginus affert, et eo quidem loco dixit quo Hyginus ad hoc caput

1) Idem de hoc agone dixerunt Euphorio et Callimachus, cf. Meineke Analecta Alex. p. 80 sqq.

2) Recte Knaack l. l. 590 observavit Schneiderum hac emendatione ipsum coniecturam suam labefactasse quam de Hygini capitibus 273—277 et Callimachi Aetiis fecit. Quae si nostrum conamen probaveris prorsus locum non habebit. Ceterum de Schneideri commento cui hodie nemo fere assentitur fusius disserere supersedeo; cf. quae de eo dixerunt Rauch, Die Fragm. der Aitia des Kallimachos p. 6; Rohde, Der griech. Roman p. 85 adn.; Bursian, Jahnii ann. 93 p. 780 sq.

conficiendum usus est, in Peplo. Cur autem Aristoteles hoc potissimum loco citetur optime eo explicatur quod nusquam nisi hic affertur alius scriptoris sententia ab Aristotelis opinione discrepans. Iam si haec sententia quae Isthmia a Theseo condita esse volebat apud Hyginum Aristotelicae adiungitur, apud Plinium locum eius prorsus occupavit, videmus nec Plinium neque Hyginum ordinem agonum Aristotelicum integrum exhibere; quaerentibus autem quis haec de Theseo addiderit fortasse de Theophrasto suspicari licet, cuius vestigia in altero Hygini loco statim cognoscemus.

Praeter ludorum enim institutiones alia quoque *εὑρήματα* apud Hyginum per ordines descripta commemorantur in capitibus 274 et 277 (quae unum olim effecerunt, cf. p. 17 adn.). De quibus primum quaerendum est, ut in c. 273 fecimus, num quae e ceteris fabulis Hyginianis petita cognosci possint quibus remotis de his inventionum laterculis nonnulla disserenda sunt. Et profecto reperiuntur quae interpolationis speciem prae se ferant, velut haecce:

| cap. 274. | fab. 143. |
| --- | --- |
| Phoroneus Inachi f. arma (l. sacra) [1]) Iunoni primus fecit qui ob eam causam primus regnandi potestatem habuit. | p. 23, 13 Inachus . . . procreavit Phoroneum qui primus mortalium dicitur regnasse.<br>p. 24, 3 itaque exordium regnandi tradidit (Iupiter) Phoroneo ob id beneficium quod [2]) Iunoni sacra primus fecit. (cf. p. 133, 3 (cap. 225) quae ex hac fabula sumpta sunt.) |

1) Quamquam iam Cassiodorius (Var. VII 18) locum ita corruptum legit; cf. Knaack. p. 586; de simili re cf. p. 587. (cf. infra p. 30 n. 4.)

2) ‚quod‘ a M. Schmidtio non recte deletum esse ex cap. 274 elucet.

| | |
|---|---|
| | fab. 225. |
| Arcades res divinas primi dis fecerunt | ? aedem Iovi Olympio primum fecit Pelasgus . . in Arcadia (primus in illa serie ,qui primi templa d. const.') |
| cap. 277. | fab. 147 p. 21, 9. |
| Ceres boves domare] et alumno suo Triptolemo fruges serere demonstravit. | (Ceres) Triptolemo alumno suo (cf. p. 21, 2 sq.) aeternum beneficium tribuit; nam fruges propagatum currum draconibus iunctum tradidit quibus vehens orbem terrarum frugibus obsevit. |

Itaque si haec inde a verbis ,et alumno' e fab. 147 sumpta sunt etiam quae sequuntur interpolata esse apparet; quod optime quadrat ad id quod ex graeca lingua, ut reliqua haec translata esse non possunt propter verbi ,immolandi' veriloquium.

Praeterea conferas haec:

| | |
|---|---|
| c. 277. | fab. 168, p. 31, 13. |
| Minerva prima navem biproram Danao aedificavit in qua Aegyptum fratrem profugit. | Danaus re cognita Minerva adiutrice ex Africa Argos profugit: tunc primum dicitur Minerva navem fecisse biproram in qua Danaus profugeret. (de Aegypto fratre v. p. 31, 11.) (eadem narrat Apollod. bibl. II 1, 4, 5.) |

Haec igitur inventa[1]) ut de capitibus Hyginianis 274 et 277 recte statuamus ex his sunt removenda; alia vero ratio quod in praetereundo moneo, inter hos locos intercedit:

| | |
|---|---|
| c. 274. | fab. 138 p. 16, 9. |
| Chiron Centaurus Saturni filius artem medicinam chirurgicam ex herbis primus instituit. | quae (Philyra) ex eo (Saturno) peperit Chironem Centaurum qui artem medicam primus invenisse dicitur, |

1) cf. de iis etiam Kremmer p. 88.

quorum si alter ex altero pendet, certe non is qui est in inventionum indice ex fabula est descriptus, nam in indice res copiosius narratur; at p. 16, 9 ex altero loco esse petitum ideo non est veri simile quod iam Dositheus in fab. 138 haec legit: *Χείρωνα τὸν Κένταυρον ὅς πρῶτος ἰατρικῆς ἐπιστήμης εὑρετὴς ἐγένετο* (Schmidtii edit. p. LVI).

Reliquas inventiones si perlustramus, unam certe reperimus quae haud dubie a Peplo pendet, litterarum dico inventionem (f. 277 p. 152, 22 sq.). In qua quamquam genuina mutationibus et additamentis satis sunt turbata, tamen et Aristotelis et Theophrasti opiniones etiam nunc eruere possumus.

Et ne in Parcis moremur quarum mentio ex nescio quo obscuro fonte fluxit [1]) et quibus sequentes inventores, praecipue Epicharmus et Simonides haud apte adiunguntur, ea componemus ex quibus perspicuum fiat quomodo secundum auctores illos litterae paulatim ad plenum numerum adductae sint; unde videbimus in praecipuis saltem rebus Hyginum cum Aristotele et Theophrasto consentire. Litteras igitur invenerunt secundum

| Aristotelem: (p. 10). | | Theophrastum: (p. 7). | | Hyginum: | |
|---|---|---|---|---|---|
| | | | | Parcae | 7 |
| | | | | Palamedes | 11 |
| Phoenices | 18 | Phoenices | 16 | (itaque ante Epich. et. Sim.: 18.) | |
| Epicharmus | 2 | Palamedes | 4 | Epicharmus | 2 |
| Simonides | 4 | Simonides | 4 | Simonides | 4 |
| | 24 | | 24 | | 24 |

Facile cognoscitur Hyginum vel auctorem eius (vel denique interpolatorem) Aristotelis et Theophrasti opiniones ita in unam confudisse ut illum secutus diceret duodeviginti litteras ‚priscas‘ (i. e. ante Epicharmum et Simonidem)

1) cf. Kremmer p. 78 sq.

exstitisse, Epicharmum duas Simonidem quattuor addidisse; cum autem Theophrasti Palamedem omittere nollet huius inventum inter duodeviginti litteras inserendum erat quas a Phoenicibus repertas esse ei non satis fabulosum videbatur (fortasse etiam in Graecia omnes inventas volebat). Quam male autem haec ita excogitata ad ea quae sequuntur inde a verbis ‚has autem graecas . . .' (p. 153, 3) quadrent corrector ille sensisse non videtur. Iam vero Pepli fragmenta cum hoc Hygini loco ad verbum conferamus, unde discemus apud hunc nonnulla esse mutanda.

| Hyginus. | Ex Peplo Theophrasti. | Plinii n. h. VII. 192. |
|---|---|---|
| alii dicunt Mercurium [1]) . . . Mercurius in Aegyptum [2]) | primi quidem invenerunt litteras Aegyptii | alii apud Aegyptios a Mercurio |
| primus detulisse dicitur ex Aegypto [3]) Cadmus in Graeciam | in Graeciam autem Cadmus Sidonius Agenoris f. detulit litteras. | utique in Graeciam intulisse e Phoenice Cadmum. |

Praeter hanc litterarum inventionem alias quae ab Hygino enumerantur ex Peplo fluxisse demonstrari nequit, quod nemini mirum videbitur qui nobiscum parvulas illius operis reliquias perlustraverit. Veri autem simile est eas inventiones quas Plinius et Hyginus communes exhibent (composuit Eichholtz De scriptoribus περὶ εὑρημάτων p. 22 sq.) maximam ad partem Peplo deberi [4]). Sed sufficere puto

1) Verba ‚ex gruum volatu' eqs. quae ad Palamedem addi oportebat per errorem ad Mercurium translata sunt; cf. Martial. XIII 75 (quod Schmidtius attulit); hanc quoque corruptelam Cassiodorius recepit (Var. VIII 12).

2) Cum verba ‚primus detulisse dicitur' ad Cadmum referenda sint, scribendum esse videtur: ‚Merc. in Aegypto'.

3) Verba ‚ex Aegypto' aut sunt delenda, aut scribendum ‚e Phoenice'.

4) Unum praeterea exstat vestigium Aristotelis si recte emendavit Knaack (l. l. 587) Hyg. 274 p. 149, 13 et Plinii VII 197 (cf. p. 5 n.):

quod et in ludorum et in ceterarum inventionum enumeratione Pepli vestigia apud Hyginum detegere potuimus; atque cum non solum Aristotelicum, sed prorsus ut apud Plinium, Theophrasteum quoque Peplum eidem libri Hyginiani parti subesse cognovimus, argumentum inde satis firmum lucramur eius sententiae quam supra proposuimus, non duos sub illo titulo libros, sed unum exstitisse Peplum Aristotelico-Theophrasteum.

Postquam eorum catalogorum quos in Hygini libro genuinos esse posuimus, duos a Peplo pendere cognovimus, tamquam per se quaestio oboritur quibus ex fontibus cetera capita (225. 275) fluxerint. Quorum alterum quidem eos enumerat qui primi dis templa constituerint alterum qui oppida primi (hoc enim in inscriptione subauditur) condiderint. Utrumque autem genus hominum vel heroum

---

| | |
|---|---|
| Lyncus (cod. et Cassiod.: Indus) rex in Scythia argentum primus invenit. | aes conflare et temperare Aristoteles Lyncum (codd. Lydum) Scythen monstrasse . . |

quod mihi quidem minime dubium est. — Sed Knaackii sententiam Cassiodorium Hygini libro eoque iam pravis scripturis inquinato usum esse Kremmer non probavit; quamquam refutasse mihi non videtur (cf. eum p. 93 n.). Nam ea certe εὑρήματα quae Cass. habet, Hyg. non habet, nihil contra illam probant; primum enim Hygini catalogos valde mutilatos esse inter omnes constat, deinde Cassiodorium ex aliis fontibus praeter Hyginum inventionum notionem haurire potuisse nemo negabit. Kremmer autem ipse ut manifestam corruptelam in Hyg. 274 (cf. supra p. 27) explicaret Knaackii sententiam non prorsus abiecit; dicit enim p. 73: ‚unde efficitur ut exstitisse iam mendum statuamus sive Cassiodorii aetate in codice enchiridii quod Hygini nomine inscripto fertur, sive antea in fonte, ex quo et Hyginiani catalogi auctor et Cassiodorius hauserunt‘. Alterum sane quod proposuit nullam veritatis speciem prae se fert. — Ne ea quidem quae Kremmer p. 69 ad defendendam scripturam ‚Indus‘ protulit, satis sunt probabilia.

vel deorum a scriptoribus *περὶ εὑρημάτων* inter inventores referebatur, quod de urbium quidem conditoribus e Plinii catalogo inventionum discimus ubi § 194 quattuor oppida afferuntur quae diversi auctores antiquissima fuisse arbitrabantur [1]). Itaque etsi horum non modo nullum inter ea quae Hyginus enumerat exstat, sed etiam quae de Argis urbe dicuntur, ab Hygino dissentiunt, tamen haec duo capita ex simili fonte fluxerunt atque ea quae de ludis et inventis agunt quem fontem quominus Peplum fuisse credamus nihil obstat.

Cum de Hygini capitibus in indicum formam redactis in epim. II disseruerim, consulto taceo de iis quorum nihil nisi tituli restant (cf. Schmidtii edit. p. 5). Quorum nonnulla sine dubio eadem ratione composita erant qua reliqua plurima, ita ut ex fabularum Hygini locis aut totae aut maximam ad partem conflatae essent; quod certo affirmare licet de cap. 234—237 (quae prorsus eiusdem generis sunt ac 238 sqq.) et 264—268. Aliter fortasse res se habebat et in c. 272 quod nescio an ex antiquiore aliquo fonte descriptum sit (cf. Hellanici fragm. 82 = Schol. Eurip. Or. 1648, quod Rauch, Die Fragm. der Aitia des Kallim. p. 6 attulit), et in c. 226—233 quae Bursianus ad Hygini genealogias supplendas addita esse censuit (J. J. 93 p. 781). Equidem ut genuina haec fuisse putem compluribus causis adducor quae ut exponantur paulo altius repetere oportet.

In Clementis Alexandrini protrept. p. 27 P. Wilamo-

1) Praeterea cf. Pausaniam VIII 2, 1: *Λυκάων δὲ ὁ Πελασγοῦ τοσάδε εὗρεν ἢ ὁ πατήρ οἱ σοφώτερα· Λυκόσουράν τε γὰρ πόλιν ᾤκισεν ἐν τῷ ὄρει τῷ Λυκαίῳ καὶ Δία ὠνόμασε Λυκαῖον καὶ ἀγῶνα ἔθηκε Λύκαια* (cf. p. 13). — Quae supra attulimus, neglexisse videtur Kremmer, qui p. 65 n. 1. Hyg. f. 225. 273. 275 ex aliis fontibus ac 274. 277 manasse putat.

witz (commentariolum gramm. II 1880 p. 11 sq.) excerpta nonnulla mythologica detexit quae singulorum deorum amores ex elementorum ordine dispositos exhibent; et primus quidem laterculus feminas a Neptuno compressas enumerat Ἀμφιτρίτην Ἀμυμώνην Ἀλόπην Μελανίππην Ἀλκυόνην Ἱπποθόην Χιόνην, secundus quas Phoebus amaverit (Ἀ)στερόπη Αἴθουσα Ἀρσινόη Ζευξίππη Προθόη Μάρπησσα Ὑψιπύλη; tum sequuntur nonnulla de puerilibus deorum amoribus satis brevia et contracta (ampliora huius generis exstant apud Clementem Romanum, Recogn. X 20 sqq. cf. Wilam. l. l.). Similiter Eichholtzium de scr. π. εὑρ. p. 6 sqq. observasse meminimus in inventionum catalogo de quo supra diximus Clementem inventores secundum litterarum ordinem enumerare. Nemini autem dubium esse potest quin Clemens res illas in hunc ordinem ipse non redegerit, sed in utrumque locum ex enchiridio quo utebatur ita enumeratas transtulerit. Cum autem illi Stromatum loco quo inventores enumerantur Peplum subesse cognorimus, similem fontem Clementi hos deorum amores praebuisse exspectamus. Iam testimonium de Peplo adhuc praetermissum advocandum est quod exstat apud Socratem hist. eccl. III 23 (ex quo descripsit Nicephorus Callistus eccl. hist. X 36) cf. Rose (1886) p. 394:

*διὸ οὐκ αἰσχύνονται πολλοὺς ἀνθρώπους ἀποθεώσαντες . . . . . . . . . . Ἡρακλέας φημὶ καὶ Διονύσους καὶ Ἀσκληπιούς . . .· ὧν τοὺς ἀρσενικοὺς καὶ θηλυκοὺς ἔρωτας εἰ ἀπαριθμησαίμην, μακρὸς ἡμῖν ἔσται ὁ τῆς παρεκβάσεως λόγος. ἀρκέσει δὲ τοῖς ταῦτα γνῶναι ἐθέλουσιν ὁ Ἀριστοτέλους πέπλος καὶ ὁ Διονυσίου στέφανος καὶ Ῥηγίνου ὁ πολυμνήμων καὶ τῶν ποιητῶν τὸ πλῆθος οἳ περὶ αὐτῶν γράψαντες γέλωτα ὄντως καὶ φλήναφον παρὰ πᾶσι τὴν Ἑλλήνων θεολογίαν δεικνύουσιν.*

Ad Hyginum redeuntes videbimus in singulis capitibus 226—232 singulorum deorum amores enumeratos fuisse

quos ex fabulis Hygini congestos esse veri non est simile; nam e. g. feminae ab Apolline amatae ex his tres tantum afferri poterant (cf. p. 46, 10. 127, 10. 128, 6). Praetera accedebant in cap. 233 et fortasse 271 (nisi hoc totum e fabulis est conflatum, cf. ep. II) deorum dearumque *ἀρσενικοὶ ἔρωτες*. Id quoque noli neglegere amorum catalogos indicum Hygini primos fuisse.

Vides igitur haec omnia praeclare concinere si coniecturam facere audemus, licet nonnullis nimis incerta videatur: Peplus deorum amores enumerabat, Clemens Alexandrinus qui partem quidem inventionum litterarum ordine compositarum Peplo debet, similes laterculos de deorum amoribus litterarum ordine compositos ex simili certe enchiridio excerpsit, Hyginus denique in eadem libri parte in qua Pepli vestigia compluribus locis aperte cognovimus, singulorum deorum amores singulis capitibus enumerat; itaque veri est simillimum haec Clementis et Hygini ex Peplo manasse[1]).

In Clementis Protreptico deorum amores excipiunt haec:

> *ἴθι δὴ καὶ τοὺς ἀ γ ῶ ν α ς ἐν βραχεῖ περιοδεύσωμεν καὶ τὰς ἐπιτυμβίους ταυτασὶ πανηγύρεις καταλύσωμεν, Ἴσθμιά τε καὶ Νέμεα καὶ Πύθια καὶ τὰ ἐπὶ τούτοις Ὀλύμπια. Πυθοῖ μὲν οὖν ὁ δράκων ὁ Πύθιος θρησκεύεται καὶ τοῦ ὄφεως ἡ πανήγυρις καταγγέλλεται Πύθια, Ἰσθμοῖ δὲ σκύβαλον προσέπτυσεν ἐλεεινὸν ἡ θάλαττα καὶ Μελικέρτην ὀδύρεται τὰ Ἴσθμια, Νεμέασι δὲ ἄλλο παιδίον Ἀρχέμορος κεκήδευται καὶ τοῦ παιδίου ὁ ἐπιτάφιος προσαγορεύεται Νέμεα. Πίσα δὲ ὑμῖν τάφος ἐστίν, ὦ Πανέλληνες, ἡνιόχου Φρυγός, καὶ τοῦ Πέλοπος τὰς χοὰς τὰ Ὀλύμπια ὁ Φειδίου σφετερίζεται Ζεύς.*

Ubi quamquam quattuor tantum agones celeberrimi enu-

1) Quamquam Clemens ne haec quidem ex ipso Peplo hausisse videtur; nam in hoc iam alphabeticum ordinem adhibitum esse vix credibile (cf. Kremmer. p. 23).

merantur, singula cum Peplo plane consentiunt. Itaque conicere saltem licet haec ex illo fluxisse [1]).

Hyginum vidimus non ea sola Pepli parte usum esse quae inventiones et ludorum institutiones et similia exhibebat, sed aliam quoque materiem quam haec varia historia praebebat in suum convertisse. Cuius rei certissimum exemplum statim nobis se oblaturum esse spero.

Nam Hyginum ne nunc quidem dimittere licet; sed alium eius locum aggredi oportet quem cum Peplo cohaerere iam M. Schmidt suspicabatur, cum in Philologi t. 23 (1866) p. 47—71 commentationem emitteret inscriptam: ‚Hygin. Fab. c. 97 oder die ursprüngliche Ordnung der Epigramme des aristotelischen Peplos‘. Agendum igitur est de Hygini cap. 97 (p. 90 Schm.) quod continet indicem inscriptum ‚qui ad Troiam expugnatum ierunt et quot naves‘.

De quo priusquam quaestionem instituamus pauca de ea Pepli parte praemittenda videntur quam non modo solam fere adhuc saepius et fusius viri docti tractaverunt, sed nonnulli totius operis argumentum effecisse putarunt. De qua habemus Porphyrii testimonium iam supra commemoratum (apud Eustathium in Hom. *B* 557 p. 285):

> *ἱστορεῖ δὲ ὁ αὐτὸς Πορφύριος καὶ ὅτι Ἀριστοτέλης σύγγραμμα πραγματευσάμενος ὅπερ ἐκλήθη πέπλος γενεαλογίας ἡγεμόνων ἐξέθετο καὶ νεῶν ἑκάστων ἀριθμὸν καὶ ἐπιγράμματα εἰς αὐτούς, ἃ καὶ ἀναγράφεται ὁ Πορφύριος ἐν τοῖς*

1) Quae autem de nonnullis agonibus exstant in Strom. I 137 (p. 401 *P.*) ubi haec omnia in chronologiae formam redacta sunt ‚*ὅτε καὶ Γλαῦκος ἐπὶ Μελικέρτῃ τὰ Ἴσθμια ἔθηκεν*‘ ‚*ἐπὶ δὲ τὸν Ὀλυμπίασιν ἀγῶνα ὃν Ἡρακλῆς ἔθηκεν ἐπὶ Πέλοπι*‘ (ineptissime Dindorf hanc codicum scripturam mutavit *ἐπὶ Πέλοπα*, virgula post *ἔθηκεν* posita) quamquam Pepli verbis sunt simillima, ex alio fonte fluxerunt, Thrasyllo scilicet qui sub finem cap. 136 affertur. Nam huic sine dubio Clemens totam illam chronologiam debet.

*εἰς τὸν Ὅμηρον ἁπλᾶ ὄντα καὶ οὐδέν τι παχὺ καὶ φλεγμαῖνον ἔχοντα. δίστιχα δὲ τὰ ὅλα ἐκεῖνα δίχα τοῦ ῥηθέντος εἰς τὸν Αἴαντα* (quod antea descripsit). *ἴσως γὰρ ὁ ἐπιγραμματοποιὸς ἐφιλοτεχνήσατο ἀπεναντίας ἐλθὼν τῷ ποιητῇ ἐπὶ μὲν τῷ λαμπρῷ Αἴαντι πολυλογῆσαι, τοὺς δὲ ἄλλους ἧττον σεμνῦναι.*

Porphyrius ex Peplo epigrammata excerpsit atque ut H. Schrader Hermae XIV. 231 sqq. demonstravit, in libro ‚*περὶ τῶν παραλελειμμένων τῷ ποιητῇ ὀνομάτων*' inscripto attulit. Quibus ex epigrammatis Eustathius unum illud in Aiacem Telamonium accurate tradit; e duobus in Nestorem factis complura verba affert quamquam de uno tantum epigrammate loquitur; praeterea Prothoi et Gunei epitaphia in codice Florentino servata respicere videtur (fr. 642 Rose), tum Asii epitaphium ceteroqui non traditum partim exscribit (fr. 643 R.), nonnulla denique profert e quibus Ausonio adiuvante epigramma in Hippothoum et Pylaeum refingi potest (fr. 644 R.).

Iam in cod. Laurentiano 56, 1 (saec. XIII) fol. 20 exstant 48 epigrammata quorum pleraque ad ducum in bello troiano graecorum sepulcra pertinent; quae cum et ita sint conformata ut Eustathius de iis quae in Peplo erant testatur: *δίστιχα τὰ ὅλα ἐκεῖνα δίχα τοῦ εἰς Αἴαντα*, et ea quae Eustathius ex illis servavit, praecipue hoc ipsum Aiacis epitaphium cum sylloga Florentina prorsus consentiant, iam pridem constat haec Laurentiani codicis epigrammata eadem esse quae Porphyrius in Peplo legit. (Accedit quod in codice Florentino epigrammata excipit vita Aristotelis.) Praeterea epigrammatum illorum quattuordecim cum quindecim aliis eiusdem generis in Tzetzae codice Harleiano et duobus codicibus Matritensibus inveniuntur.

Porphyrius igitur in hac Pepli parte testatur exstitisse: 1) *γενεαλογίας ἡγεμόνων*, 2) *νεῶν ἑκάστων ἀριθμόν*, 3) *ἐπιγράμματα εἰς αὐτούς*. De epigrammatis quidem

plura infra dicemus; si autem conicere licet heroes in universum certe eo ordine fuisse enumeratos, qualem epigrammatum sylloge in codice Laurentiano servata praebet, cognoscimus non prorsus secundum navium catalogum Homericum ordinem illum fuisse constitutum, sed primis locis eximios duces („βασιλῆας‘), tum ceteros et eos quidem magis secundum Boeotiae ordinem enumeratos fuisse.

Iam si Hygini caput 97 respicimus, in id haec fere omnia cadere videmus. Enumerantur enim hic quoque duces Achivorum, adduntur non integrae quidem genealogiae, attamen plerumque parentum, nonnusquam etiam avi materni nomina, quorum multa satis ignota doctrinam non mediocrem indicant; postremo quot quisque naves ad Troiam duxerit additur. Praeterea ducum enumeratio eadem ratione instituta est ac in Peplo: praestantissimos excipiunt ignobiliores et hi quidem Boeotiae fere ordini adaptati sunt.

Quae cum ita sint maxime puto mirandum esse quod M. Schmidt qui l. l. nescio quibus argumentis nisus ex Hygini capite genuinum epitaphiorum ordinem restituere conabatur, summam illam similitudinem neglexit praeter eam rationem quae inter nobiliorum ignobiliumque ducum ordinem et apud Hyginum et in Peplo intercedit. Hoc autem quasi fundamentum disputationi suae operosissimae partimque violentissimae substruxit, unde quae sibi visus est nova proferre vix quemquam assentientem invenerunt.

Consensus autem ille Pepli et Hygini in singulis quoque rebus apparet; nam in utroque praestantiores duces eodem ordine enumerantur. Quod ut magis in promptu sit, utriusque seriei initium appono:

| Hyginus. | Pepli epigr. in syll. Flor. |
|---|---|
| Agamemnon . . . . | 1. 2. Agamemnon. |
| Menelaus . . . . . | 3. Menelaus. |
| Phoenix | |

| | |
|---|---|
| Achilles . . . . . . | 4. 5. Achilles. |
| Automedon | |
| Patroclus . . . . . | 6. Patroclus. |
| Aiax Tel. . . . . . | 7. Aiax Tel. |
| Teucer . . . . . . | 8. Teucer. |

Huc usque alter cum altero bene conspirat, nisi quod in Phoenice et Automedonte discrepare videntur. Hos autem si omnino in hoc catalogo afferendi erant, non suo loco positos esse facile intellegitur. Primum enim Phoenicem hoc loco, statim post praestantissimos Atridas et ante Achillem commemorandum non fuisse consentaneum est; deinde nemo in eo non offendit quod non ut apud ceteros plerosque (apud eos certe omnes qui prioribus locis enumerantur) mater commemoratur et Automedon qui minore paene iure quam Phoenix inter βασιλῆας relatus est, etiam patre caret. Postremo verba ‚auriga Achillis' suspicionem movent. Quae optime explicantur omnia, si ponimus interpolatorem aliquem horum Achillis comitum nomina quae in catalogo quoque ei quam proxime adiungere vellet alterum ante, alterum post Achillem in spatiis interlinearibus inseruisse. Quibus remotis pariter atque in Peplo tria paria artius coniuncta restant:

| | | |
|---|---|---|
| Agamemnon | Achilles | Aiax Tel. |
| Menelaus | Patroclus | Teucer. |

Iam vero post Teucrum utriusque ordinis consensus turbatus est; primum enim Nestor et Antilochus post Ulyxem cum Diomede coniunctum positi, quamquam neque hi neque illi distracti sunt; deinde Idomeneus et Meriones una inter alterius ordinis heroes delapsi sunt, ubi certe aequum locum non obtinent; cuius translationis haec fortasse erat causa quod Sthenelus et Euryalus qui Diomedi artius adiungendi esse videbantur (ut Nestori et Antilocho additus est Thrasymedes) in locum illorum successerunt; praeterea Aiax Oilei filius ante Nestorem progressus est,

ita ut eos qui bini iuxta compositi enumerantur male interrumperet. In ceteris nulla iam cognoscitur consensio cum apud Hyginum satis magnus heroum numerus ad Boeotiae ordinem proferatur (Eumelus — Philoctetes; Peneleus — Menestheus [excepto Aiace Oil.]; Agapenor — Thoas; Protesilaus Podarces; Prothous Guneus; Nireus Antiphus Phidippusque; Polypoetes Leonteus) qui in epigrammatis Laurentianis perpaucis tantum locis perlucet. Itaque in his genuinus ordo magis est turbatus quam apud Hyginum.

Iam cum Hyginum in iis capitibus quae sub finem libri exstant a Peplo pendere cognoverimus, consensum capitis 97 et enchiridii illius fortuitum esse non existimabimus. Servatum igitur est in hoc capite Hyginiano Pepli fragmentum satis amplum; in quo duae res maxime dolendae sunt, quod et genealogiae breviter tantum excerptae et eorum nominum quae restant multa foedissime depravata sunt. Vix denique opus est addere in hoc quoque capite interpolatoris manum clare cerni, cuius rei exemplum supra apposuimus. Quodsi autem Phoenix et Automedon non omnino additi — nam in hunc quidem epigramma exstat in sylloga Florentina, 38 — sed ex aliis catalogi locis huc non recte translati sunt, eos certe qui post Leonteum adduntur, p. 92, 6—11 male esse agglutinatos neminem mihi non concessurum esse puto [1]).

Tenemus igitur scriptorem qui cum ex Peplo non singulas res in suum usum converterit sed integras eius particulas presse secutus sit partem aliquam libri deperditi nobis servavit, ex qua de forma eius ac indole nonnihil discimus. Imprimis id manifestum fieri videtur variam

1) M. Schmidt qui haec quoque genuina fuisse putabat, in Epeo graviter lapsus est cum diceret (Philol. XXIII 56), „. . . Epeus, dessen Besprechung im Peplos durch Schol. *A* zu Il. *Λ* 688 bezeugt ist‘; confudit enim Epeum Phocensem equi troiani architectum et Epeum Eleorum proavum (cf. p. 41).

materiem quae in opere illo tractabatur pleramque in catalogos redactam fuisse. Quae catalogorum exempla, et ea praesertim quae deorum amores exhibebant imitatus libri Hyginiani interpolator vel retractator addidit tabulas illas partim ineptissimas de quibus in secundo epimetro disseremus.

Itaque cum Pepli vestigia apud alios scriptores quaerantur, in iis quae ex Plinio et Clemente Alexandrino et praecipue ex Hygino elicuimus quaestio ponenda erit; tum sine dubio nova illius operis fragmenta protrahere continget. Hac autem via nobis nunc quidem progrediendum esse non puto, sed de genealogiis illis quas iam attigimus videndum.

Epigrammata codicis Laurentiani et ea quae Tzetzes servavit a scriptoribus Porphyrio vetustioribus non citantur praeter unum quintum decimum in Idomeneum Merionemque compositum; hoc enim apud Diodorum Siculum exstat ubi haec legimus (V 79):

⟨a⟩ *Μίνῳ φασιν υἱοὺς γενέσθαι Δευκαλίωνά τε καὶ Μόλον· καὶ Δευκαλίωνος μὲν Ἰδομενέα, Μόλου δὲ Μηριόνην ὑπάρξαι.* ⟨b⟩ *τούτους δὲ ναυσὶν ὀγδοήκοντα στρατεῦσαι μετ' Ἀγαμέμνονος εἰς Ἴλιον καὶ διασωθέντας εἰς τὴν πατρίδα τελευτῆσαι* ⟨c⟩ *καὶ ταφῆς ἐπιφανοῦς ἀξιωθῆναι καὶ τιμῶν ἀθανάτων. καὶ τὸν τάφον αὐτῶν ἐν τῇ Κνωσῷ δεικνύουσιν ἐπιγραφὴν ἔχοντα τοιάνδε·*

*Κνωσίου Ἰδομενῆος ὅρα τάφον, αὐτὰρ ἐγώ τοι*
*πλησίον ἵδρυμαι Μηριόνης ὁ Μόλου.*

Hoc. ep. et in sylloga Florentina et apud Tzetzam exstat; quodsi idem etiam in Anthologia Palatina VII 322 invenimus atque codex Anthologiae non ut cod. Laur. et Tzetzes ὁρᾷς et τοῦ, sed ὅραι et τοι praebet verisimillimum videtur e Diodoro illud ,ἀδέσποτον' sumptum esse, praesertim cum praeter hoc et Aiacis Tel. epitaphium (quod diversi generis est) nullum Pepli epigramma in Anth. Pal. receptum sit, itaque Peplus in Anthologiae fontium numero non fuerit. Diodorum autem Idomenei Merionisque

epitaphium ex Peplo hausisse iam Schneidewino et Bergkio probabile videbatur. Iam vero si Porphyrii testimonium respexeris, Diodorum de Idomeneo et Merione eadem eodem ordine afferre videbis quae in Peplo de singulis ducibus legebantur, nempe

a) *γενεαλογίας ἡμεμόνων*
b) *νεῶν ἑκάστων ἀριθμόν*
c) *ἐπιγράμματα εἰς αὐτούς,*

neque praeterea quicquam nisi *καὶ διασωθέντας . . . τιμῶν ἀθανάτων*: talia autem si epigrammata auctor apte adiungere volebat addere paene necessarium erat. Iam cum epigramma idem sit quod in syll. Flor. de his duobus ducibus exstat, nonne certissimum est non solum hoc epigramma sed totum quem adscripsimus Diodori locum ex ea parte Pepli fluxisse, de qua Porphyrius verba fecit?

Genealogiarum Pepli unum superest fragmentum ipso operis nomine insigne in schol. A ad Hom. *Λ* 688 (unde in Etym. M. s. v. *Ἦλις* p. 426 pervenit) = Rose (1886) fr. 639: *Ἐπειοὶ οἱ Ἠλεῖοι ἀπὸ Ἐπειοῦ βασιλέως, οὕτως· Ποσειδῶνος καὶ Εὐρυπύλης τῆς Ἐνδυμίωνος παῖς Ἠλεῖος ὁ κτίσας Ἦλιδα, Ἠλείου δὲ Ἄλεξις καὶ Ἐπειὸς ἀφ' οὗ Ἐπειοί, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῷ πέπλῳ.* — Quod hic exponitur stemma sine dubio ex quattuor Epeorum (Hom. *B* 618 sqq.) genealogia petitum est, ab iis autem quae apud ceteros scriptores invenimus aliquantum abhorret. Quorum id conferas quod Pausanias praebet (V 1, 3 sq.):

*Ἐνδυμίων*
*Ἐπειός* etc. — *Εὐρυκύδα*[1]) —— *Ποσειδῶν*
*Ἠλεῖος*
*Αὐγείας*

Peplus.


*Ἐνδυμίων*
*Εὐρυπύλη* —— *Ποσειδῶν*
*Ἠλεῖος*
*Ἄλεξις* — *Ἐπειός*

1) ‚Cf. *Εὐρυκύδειον ἄλσος* in Elide, Strab. VIII p. 346; sed alterum utrum nomen videtur corrigendum‘ (Kaibel).

Alexis nomen cum ab alio scriptore nullo commemoratum sit, etiam hoc exemplo confirmari videtur quod cum de nominibus in Hygini f. 97 diceremus (p. 37) iam suspicati sumus, Pepli genealogias partim ex fontibus magis reconditis haustas fuisse.

Pepli genealogica in scholiis ad Homeri catalogum navium et in Eustathio latere iam Schneidewin (p. 13) coniecit. Quae suspicio augetur eo quod Eustathius in his commentarii sui partibus satis multa exhibet quae in scholiis desunt. Unde vero haec petiverit, ex doctissima Schraderi commentatione supra commemorata discimus; ad Boeotiam enim interpretandam Eustathius Porphyrii Paralipomena Homerica large adhibuit quibus scholiasta uti non potuit; ex quo libro Pepli quoque mentionem fragmentaque in Eustathium pervenisse vidimus. Recte autem nos coniecisse plerasque earum genealogiarum quas Eustathius quidem praebet, scholia non praebent, ex hoc Porphyrii libro fluxisse unum fragmentum docet (fr. 3 Schrader l. l. 234; ad *B* 542) ubi vulgari Abantiadarum genealogia allata haex exstant: *ἐν δὲ τοῖς τοῦ Πορφυρίου φέρεται καὶ ταῦτα.* sequitur stemma a priore satis discrepans; quae res ut magis eluceat utrumque appono:

I. II. (Porphyrius)



Quod haec genealogia a vulgata illa (cf. Schol. BL l. l.) quae Abantes cum regum Atticorum stirpe coniungere studebat differt, indicare videtur eam a Porphyrio e Peplo petitam esse.

Accedit alter locus Eust. p. 311, 10 (ad *B* 638) quem ad Porphyrium satis probabiliter rettulit Schrader (p. 248) qui rectissime observavit hanc Thoantis genealogiam cum Pepli epigr. 23 concinere:

| | |
|---|---|
| *υἱὸν ὑπερθύμου Ἀνδραίμονος ἠδὲ θυγατρὸς Γόργης τῆς Οἰνέως ἥδε κόνις κατέχει* | Eust. *ὅτι Αἰτωλῶν . . Θόας ἡγεῖτο υἱὸς Ἀνδραίμονος καί Γόργης τῆς Οἰνέως θυγατρός.* |

Ab Homero enim Gorge non commemoratur.

Praeterea inspicias Epeorum stemma (Eust. ad B 615):

*Φόρβας* — *Ἐπειός*

*Διογένεια* *Ἀλέκτωρ* *Ὑρμίνη* *Φόρβας*

*Ἀμαρυγκεύς* — *Αὐγείας* *Ἄκτωρ*

eqs.

Alectorem praeter Eustathium unus Diodorus (IV 69) commemorat, qua autem affinitate cum Phorbante coniunctus sit non dicit, quamquam eandem rem, Alectorem Phorbanti dimidiam regni partem dedisse iisdem fere verbis atque Eustathius narrat. Iam si in stemmate Porphyriano Alector non Epei, sed Elei filius esset, mea quidem sententia hoc nomen in Peplo pro Alexidis, Elei filii nomine restituendum esset (nam *Ἄλεξις* nomen fabulae non satis aptum mihi videtur) et hoc quoque stemma Peplo tribui posset.

Quamquam autem minime ignoro quam incerta haec omnia sint, id puto me non temere proponere, Porphyrium eas genealogias quibus Eustathius commentarium suum instruxit, ex Peplo sumpsisse. Quodsi in singulis rebus hoc evincere nequimus, ne id quidem inutile est cognovisse Pepli genealogicorum etiamsi a scriptoribus posterio-

ribus saepius adhibita esse conicere liceat pauca vel nulla fere certa hodie erui posse.

Praeter Eustathium in Diodori genealogicis ubi Pepli fragmentum deteximus alia quoque ex eodem fonte sumpta inveniri fortasse liceat exspectare; quamquam id quodque firmis argumentis demonstrari nequit. Sed de Diodoro nonnulla sunt addenda. Id enim caput in quo legimus quae nos ex Peplo fluxisse arbitramur (V 79) cum aliis permultis quinti libri locis Ericus Bethe (‚Untersuchungen zu Diodors Inselbuch‘ Herm. XXIV 402 sqq.) ex Apollodori *περὶ νεῶν καταλόγου* libris fluxisse probabiliter exposuit atque ex ipsis verbis ‚*διασωθέντας εἰς τὴν πατρίδα τελευτῆσαι*‘ gravissimum argumentum petivit. Deinde addidit: ‚Auch das Grabepigramm des Idomeneus und Meriones wird man ihm nicht absprechen können‘ (eqs. 419). Quae si vera sunt — nec sane quicquam huic viri docti sententiae prorsus obstat — concludendum nobis est non Diodorum ex Peplo haec excerpsisse, sed Apollodorum. Ad quod bene quadrat quod Porphyrius (apud Eust. p. 263, 33 Schrader l. c. 233) inter eos qui de navium catalogo scripserint insigni loco Apollodorum laudat: ‚*λέγει δὲ* (sc. *ὁ Πορφύριος*) *καὶ ὅτι πρὸς ἄλλοις καὶ Ἀπολλόδωρος ὁ Ἀθηναῖος ἐπραγματεύσατο τὰ περὶ τοῦ καταλόγου ἄριστα ἐν δώδεκα βιβλίοις*‘, quare Schrader (251) veri simillimum putat esse Porphyrium ex Apollodoro hausisse quamquam certum argumentum afferri nequeat. Hac ratione quae cum inter Apollodorum et Diodorum, tum inter Apollodorum et Porphyrium intercedit nisus Kaibel neque Diodorum neque Porphyrium ea quae ex Peplo haberent, ex hoc ipso libro descripsisse, sed ex Apollodori libris *περὶ νεῶν καταλόγου* utrumque hausisse arbitratur. Quae viri doctissimi sententia si certis argumentis probari posset, haberemus sane testem Pepli gravissimum eumque satis antiquum, qui imprimis ad epigrammatum illorum aetatem definiendam (de

qua infra plura dicturi sumus) summi esset momenti. Ac per se quidem admodum veri est simile Apollodorum si Peplum novit eum ad commentarium suum saepius adhibuisse, praesertim cum doctae heroum genealogiae ei qui de ‚Boeotia' scripsit locupletissimam materiem praeberent. Sed quamquam ubicumque Apollodori reliquiae vel vestigia apparent diu multumque quaesivi, nihil fere inveni quo Kaibelii sententia ad liquidum perduci possit. Unum tamen apponam quod quam in incerto positum sit nemo me ipso melius sentit.

Lucillus enim Tarrhaeus[1]) in scholiis in Dionysium Thracem (Cramer Anecd. IV 322, 28) ubi Ephori Aristotelisque sententias de litterarum inventione composuit sic pergit (l. l. 318, 15, amplius eadem servata sunt in Bekkeri Anecd. II 783, 6 sq. quae describere malo): *Πυθόδωρος δὲ ὡς ἐν τῷ περὶ στοιχείων καὶ Φίλλις* (sic corruptum nomen iam complures viri docti emendaverunt) *ὁ Δήλιος ἐν τῷ περὶ χρόνων πρὸ Κάδμου Δαναὸν μετακομίσαι αὐτά* (sc. *τὰ στοιχεῖα*) *φασιν. ἐπιμαρτυροῦσι τούτοις καὶ οἱ Μιλησιακοὶ συγγραφεῖς, Ἀναξίμανδρος καὶ Διονύσιος καὶ Ἑκαταῖος οὓς καὶ Ἀπολλόδωρος ἐν νεῶν καταλόγῳ παρατίθεται*'. Unde discimus Apollodorum in libris de navium catalogo etiam de litterarum inventione docte disseruisse ad quod sane facile adduci poterat si Peplo in conficiendis illis libris utebatur; et cum paulum ante Apollodorum Aristotelis sententia qualem in Peplo exposuit commemoretur (cf. p. 10), hanc quoque ab Apollodoro receptam esse cogitari potest. Sed ne talibus argumenti loco utamur vix opus est monere.

Ceterum ne hunc locum frustra tentaverimus, etsi de Peplo nihil, at de Apollodoro aliquid ex eo disci potest; nam quod hic *ἐν νεῶν καταλόγῳ* de litterarum inventione

1) Cf. Hörschelmann Act. soc. phil. Lips. IV 333 sqq.

verba fecit ansam praebere mihi videtur ut novum illius operis fragmentum in lucem proferatur. Nunc enim si quid de litterarum inventione in scholiis in navium catalogum invenerimus, ad Apollodorum referre non dubitabimus. Iam vero non solum habemus talem locum in scholiis illis, sed ut revera haec Apollodori esse evincamus addere possumus locum scholiastae Dionysii Thracis quem ex Apollodoro hausisse supra vidimus:

| Schol. BL in *B* 841. | Bekker 785, 4 (Cramer 320, 12). |
| --- | --- |
| *Λάρισαν] ταύτην οἱ ἀπὸ τῶν Αἰολίδων μεταναστάντες ἔκτισαν· διὸ Π ε λ α σ γ ο ύ ς*[1] *φησιν ὡς ἄνωθεν Ἕλληνας ὄντας· καὶ μ ε τ ὰ τ ὸ ν κ α τ α κ λ υ σ μ ὸ ν σ ῶ σ α ι τ ὰ σ τ ο ι χ ε ῖ α μ ό ν ο υ ς Ἑλλήνων φασίν.* | *μ ε τ ὰ δ ὲ τ ὸ ν ἐπὶ Δευκαλίωνος κ α τ α κ λ υ σ μ ὸ ν ο ὐ δ ε ὶ ς τ ῶ ν π α ρ α λ ε ι φ θ έ ν τ ω ν Ἑ λ λ ή ν ω ν ἐ φ ύ λ α ξ ε τ ὴ ν* (sc. *τ ῶ ν σ τ ο ι χ ε ί ω ν*) *μ ν ή μ η ν π λ ὴ ν τ ῶ ν Π ε λ α σ γ ῶ ν τῶν ἀφ' Ἑλλάδος εἰς βαρβάρους πλανηθέντων οὓς καὶ ὁ ποιητὴς καλεῖ φάσκων ἔθνος Παφλαγονίας·* *καὶ Λέλεγες καὶ Καύκωνες δῖοί τε Πελασγοί* (*K* 429) *παρ' ὧν μαθόντες πρῶτοι Φοίνικες εἰς Ἕλληνας ἤγαγον ἥττονές* (*γείτονές* Cr.) *τε βαρβάρων ὄντες καὶ συνεχεῖς ἐμπορίας ποιοῦντες. ὅθεν καὶ φοινίκεια* (*φοινικικά* Cr.) *κτητικῶς ὀνομάζονται*[2]). |

Apollodori manum etiam in versu Homerico allato cognoscimus, quare ea quoque quae antecedunt, ubi alter locus Homeri (*Z* 169) citatur ex eodem fonte fluxisse apparet. — Quod autem ex scholiis Homericis et Dionysianis conclusimus praeclarissime confirmatur Diodori loco V 57. In quo capite Apollodori vestigia Bethe (431) mon-

1) Cf. Plinium in inventorum catalogo (VII 193) ,in Latium eas (litteras) attulerunt Pelasgi' quae e Gellio sive ex Varrone fluxerunt.

2) Crameri Anecdoton duobus locis veram scripturam praebet; quamquam revera litterae non *φοινικικαὶ* sed *φοινίκεαι* appellabantur.

stravit in Heliadarum narratione, in quam id quoque fragmentum quod modo deteximus insertum invenimus (§ 3–5; locum apponere supersedeo); quodsi igitur Bethe locos supra collatos praesto habuisset, maiore cum fiducia totum caput Apollodoro assignare potuisset. Optime autem deinde ad hanc rem quadrant quae in sequenti capite (§ 3) de litteris a Cadmo in Graeciam illatis dicuntur quaeque ex Apollodoro petita esse Bethe (432) suspicatus est.

Sed ad propositum revertamur. Vidimus igitur esse nonnulla quae Kaibelii opinionem commendent; attamen ea quae mihi contra eam pugnare videntur non tacebo. Nam si ponimus Porphyrium Pepli notitiam ex Apollodoro sumpsisse, statuendum nobis est Apollodorum omnia fere heroum epigrammata exhibuisse et ut Pepli Aristotelici partem praedicasse; Eustathius enim ea integra in Porphyrii libro exstitisse testatur: ‚ἃ καὶ ἀναγράφεται ὁ Πορφύριος ἐν τοῖς εἰς τὸν Ὅμηρον‘ eqs.[1]). Tum vero satis

1) Ausonius qui Pepli epigrammatum magnam partem in latinum sermonem vertit (lib. VI ‚Epitaphia heroum qui bello troico interfuerunt‘) in praefatione dicit se illa ‚antiqua apud philologum quendam repperisse‘. Qui philologus quis fuerit primus observavit Kaibel. Ausonii enim epigramma in Aiacem primis quidem quattuor versibus exemplar graecum simpliciter reddit; tum vero in duobus versibus adnexis tangitur fabula quae ex Aiacis sanguine florem natum esse finxit:

iam dabo purpureum claro de sanguine florem
testantem gemitu crimina iudicii.

Hanc autem fabulam a Porphyrio statim post Aiacis epitaphium esse commemoratam Eustathius testatur qui allato Pepli testimonio haecce addit: *ἔτι καὶ ταῦτα τοῦ Πορφυρίου ὅτι ..... Εὐφορίων λέγει τοῦ αἵματος τοῦ ῥυέντος ἐκ τῆς τοῦ Αἴαντος σφαγῆς ὑάκινθον ἐκφῦναι.* Itaque Porphyrius Ausonii ‚philologus‘ erat, id quod nullo argumento allato iam V. Rose Ar. Ps. 565 et alii contenderunt. Cf. etiam quod Ausonius epiϱaphia illa ‚antiqua‘ appellat cum Eustathii verbis *Πορφύριος εἰς Αἴαντα ἐπίγραμμα παλαιὸν φέρει τόδε,* et p. 296: τὸ

esset mirum quod eorum epigrammatum quae Apollodorus in clarissimum de navium catalogo opus ut Aristotelica recepisset nullum fere servatum esset, quamquam multos scriptores Apollodori libro usos esse scimus. Imprimis id vix quisquam intellegeret cur Diodorus qui Apollodori scriniis minime pepercit ex magna epigrammatum copia unum illud in Idomeneum et Merionem fictum in suum usum convertisset.

Itaque non satis est veri simile Porphyrium ea quae ex Peplo attulit ex Apollodoro excerpsisse; sed videtur ipsum librum manibus tenuisse [1]). Hoc autem minime impedit quominus credamus Apollodorum Peplum novisse atque eum Diodori locum quem ex Peplo fluxisse demonstravimus per Apollodorum migravisse. Nam hoc loco cum de Cretensium duorum morte ageret, habuisse eum cur testimonium auctorum advocaret, Bethe recte perspexit: eos enim refellere volebat qui Idomeneum et Merionem non in patria, sed exsules in regionibus occidentalibus mortuos esse fingebant. Itaque ad hanc rem Apollodorus Peplum testem adscivisse potest; num vero fontem suum indicaverit dubium est. Potest autem ita quoque res explicari nihil nisi verba ‚καὶ διασωθέντας — τιμῶν ἀθανάτων' ex Apollodoro fluxisse, cetera quae ex Peplo sunt a Diodoro ex alio fonte addita esse.

Hoc igitur in medio relinquo.

---

εἰς αὐτὸν (Nestorem) παλαιὸν ἐπίγραμμα: uterque haec ex Porphyrio hausit.

1) Qui Porphyrium nihil nisi epigrammatum syllogen novisse putant eo refelluntur quod is genealogiis quoque Pepli usus est; cf. p. 42 sq.

## De Pepli epigrammatis

nonnulla addenda sunt quae ad iudicium de toto libro faciendum non superflua erunt. Ac primum quidem necessarium mihi videtur de epigrammatis ipsis quaerere, reliquis operis partibus interim a disputatione prorsus sepositis. Itaque spectemus oportet num certi termini inveniantur quibus epigrammatum aetas circumscribi possit.

Priusquam vero hanc quaestionem aggrediamur, in universum pauca de his versiculis dicenda sunt. Haec enim heroum epitaphia certe non ex cenotaphiis vel ex singulis poetis collecta sunt (ut Rose Aristot. Pseud. 565 voluit quem satis refutavit Bergk PLG II⁴ 343); nam praeter unum Aiacis epigramma omnia fere non modo pari exilitate insignia sunt, id quod Porphyrius eis in laudem vertit (ap. Eust. l. c. *ἁπλᾶ ὄντα καὶ οὐδέν τι παχὺ καὶ φλεγμαῖνον ἔχοντα*), sed etiam summa indolis, sermonis, argumenti, formae similitudine eandem originem eundemque auctorem produnt. Erat igitur epigrammatarius ille homo minime poeta qui quidem non undique epitaphia colligeret, attamen saepius antiquiorum poetarum carmina in suum usum converteret. Ut exempla afferam, ep. 13 secundum [Simonidis] ep. 98 (Bgk⁴) compositum esse dudum cognitum est. Deinde ep. 61 in Cycnum mire consentit cum quarti a. Chr. saeculi titulo in Piraeo reperto CIA 3720:

*Εὐρυμάχου ψυχὴν καὶ ὑπερφιάλους διανοίας*
*αἰθὴρ ὑγρὸς ἔχει, σῶμα δὲ τύμβος ὅδε.*

cf. *Θυμὸν δὴ Κύκνου καὶ ὑπερφιάλους ἐπινοίας*
*αἰθὴρ λαμπρὸς ἔχει, σῶμα δὲ τύμβος ὅδε*

ad quae Kaibel ep. gr. 41 adnotat: ‚alterum ex altero fictum esse negari nequit, sed utrum ex utro non dispicio in his de Peplo quaestionis tenebris‘. Cum igitur ex hoc

lapide Pepli aetas definiri nequeat, ab hac quaestione prorsus est removendus (cf. p. 58 n.).

Idem fere valet de Oedipi epitaphio quod in vasculo picto in Magna Graecia reperto exstat (Heydemann cat. Neap. 2868). Vasculum exeunte saec. IV vel ineunte III factum esse et pictura et litterarum forma indicat. Epigramma autem simillimum est ei quod sine mortui nomine affert Eustathius in Od. λ 538, atque in Hippothoum Pylaeumque translatum habet Ausonius ep. 21 (cf. ep. 66 Rose; 63 Bergk). Utra vero forma prior sit per se diiudicari nequit (cf. p. 58 n.).

Deinde cum ep. 20 (de Podalirio et Machaone) conferendus est titulus tertii fere saeculi p. Chr. n., in Kaibelii Inscr. Ital. et Sic. 2117, v. 5

*πρόσθεν μὲν θνητή, νῦν δὲ θεῶν μέτοχος.*

ep. 20, 2. *πρόσθεν μὲν θνητοί, νῦν δὲ θεῶν μέτοχοι*

(qui consensus adhuc non est notatus). Itaque aut hic versus e Peplo in lapidem translatus est aut in utrumque ex antiquiore epigrammate fluxit. De epitaphiorum autem Pepli aetate ex hoc consensu nihil certi discimus.

Aiacis epitaphium (7) eo singularis est quod non ex uno disticho, ut reliqua, sed e duobus constat; quam rem Porphyrius (vel Eustathius?) ita explicare studebat: *ἴσως γὰρ ὁ ἐπιγραμματοποιὸς ἐφιλοτεχνήσατο ἀπεναντίας ἐλθὼν τῷ ποιητῇ ἐπὶ μὲν τῷ λαμπρῷ Αἴαντι πολυλογῆσαι, τοὺς δὲ ἄλλους ἧττον σεμνῦναι.* Haec nimirum non est causa, sed ita solum res explicari potest ut ponamus hoc ep. non ab eodem qui cetera epitaphia confecit profectum, sed poetae paulo quidem elegantioris carmen his insertum esse. Atque etiamsi in Anthologia Pal. VII 145 Asclepiadi nulla fere cum fide tribuitur[1]), satis notum fuisse hoc

1) Inter hos versus et Asclepiadis epigrammata nulla similitudo est. Sed etiamsi verum esset Asclepiadem Aiacis

carmen inde discimus quod et Antipater Sidonius imitatus est (A. P. VII 146) et Mnasalcas argumentum eius in aliud detorsit (apud Athenaeum IV 163a, omisso Mnasalcae nomine apud Eustathium ad *B* 557). Nam quod Rose contendit Mnasalcae epigramma prius exstitisse parum est probabile; quamquam nonnulla afferri possunt quibus haec opinio commendari videatur. Primum enim Bergkii coniecturam [1]) qui Mnasalcae versus Praxitelis signa ‚flentis matronae et meretricis gaudentis' (Plin. n. h. 34, 70) respicere putabat, subsidio vocare liceret, nisi incertissima esset. Alterum argumentum capere possis inde quod altero loco epigrammatum auctor Mnasalca usus esse videatur; de quo statim disseremus. Sed vide quae obstent ne rem ita se habere putemus; atque imprimis Porphyrii testimonium respicias (nam sine dubio Porphyrii, non Eustathii haec sunt) qui epitaphio Aiacis allato diserte haec addit: *ὃ δὴ παρῳδήσας κατὰ τῆς ἡδονικῆς φιλοσοφίας ἔγραψεν οὕτως· ἅδ' ἐγώ* (sequuntur Mnasalcae versus) Deinde singula ludendi consilium aperte indicant velut cum dorica dialectus initio tantum et in *ἁ κακόφρων* servata, ceterum ionicae permixta sit. Putandumne omnino est tales versus in epitaphium converti potuisse? — Praeterea in altera dea dupliciter appellata: *Ἡδονή-Τέρψις* et in languido vocabulo *ἅπασιν* (pro *Ἀχαιοῖς*) nemo imitationis imbecillitatem non sentit. Postremo, ut revera Mnasalcas auctor, epitaphii poeta imitator fuerit, quomodo tibi rem fingis? Nimirum aut epigrammatum Pepli auctor aut is qui ante eum hoc Aiacis carmen sepulcrale fecit, Mnasalcae versus transformasse debet. Alterum si ponimus, nequa-

epitaphium fecisse id non multum iuvaret; nam tum si quis contenderet hoc ep. 7 ceteris postea insertum esse minime refutari posset.

1) Qui tamen Aiacis epitaphium quod revera ab Asclepiade Samio factum esse censet ante Mnasalcae ep. ponit.

quam explicatur cur ille huic uni epigrammati non solum sermonem doricum sed etiam cum reliqua omnia singulis distichis constent, duo concesserit? An Mnasalcae carmen eum ad imitationem tam vehementer provocavit? Non credo. Praeterea quomodo fieri poterat ut hoc unum ex Pepli epigrammatis non solum nossent posterioris aevi poetae, sed etiam imitarentur (v. supra; fortasse Archias quoque A. P. VII 147 imitatur)? Immo quod Antipater imitatus est, commendat Mnasalcam imitatum esse vel παρῳδῆσαι. Id denique noli praetermittere hoc unum ex Pepli epigrammatis (praeter ep. 15 e Diodoro descriptum) in Constantini Cephalae Anthologiam pervenisse. — Alterum vero, Mnasalcae carmen ab alio poeta transformatum in Peplum receptum esse nulla re probatur, iis quae supra exposuimus refellitur.

Restat locus quo Pepli epigrammatarius a Mnasalca pendere videtur in ep. 19 (in Ascalaphum et Ialmenum) cuius versus alter

ὀστέα πληξίππων γῆ Μινυῶν κατέχει

in Hesiodi epitaphio reperitur quod Anth. Pal. VII 54 Mnasalcae tribuitur. Idem epigramma sine Mnasalcae nomine etiam in Certamine Hom. et Hes. (p. 323 Goettl.) exstat, deinde a Pausania IX 38, 3 paucis verbis mutatis affertur qui dicit (ib. 10) Orchomenios illud epigramma Chersiae poetae epico Orchomeni nato tribuere. Itaque Pausaniam secuti Schneidewin et Bergk a Mnasalca carmen abiudicarunt; hoc num iure fecerint iam videbimus. Ac primum quidem quaeritur utra forma epigrammatis prior sit,

Ἡσιόδου τοῦ πλεῖστον ἐν ἀνθρώποις κλέος ἐστὶν
ἀνδρῶν κρινομένων ἐν βασάνῳ σοφίης —
(‚Mnasalcas‘ in Anth. Pal.; Certamen)

an: Ἡσιόδου τοῦ πλεῖστον ἐν Ἑλλάδι κῦδος ὀρεῖται
(‚Chersias‘ apud Pausaniam).

Hoc autem dubium esse nequit; nam si haec forma Cher-

siana (ut ita dicam) prius exstitit nemini eam adeo displicere potuisse credo ut mutaret; altera vero forma facillime aliquem adducere poterat ut pro *ἀνθρώποις* quod ei iuxta *ἀνδρῶν* superfluum videbatur, *Ἑλλάδι* poneret, deinde cum epitaphium pristinis temporibus, brevi post Hesiodi mortem compositum esse fingeret, pro praesenti tempore *κλέος ἐστίν* futurum *κῦδος ὀρεῖται* substitueret. Iam si id ipsum male quadrat quod haec forma recentior vetustiori illi poetae epico tribuitur qui teste Plutarcho (conv. sept. sap. p. 156e) Periandri aequalis circa ol. 40 floruit; de quo Pausanias IX 38, 10 dicit *τοῦδε τοῦ Χερσίου τῶν ἐπῶν οὐδεμία ἦν ἔτι κατ' ἐμὲ μνήμη κτλ* — quis in rei natura positum esse non videt Orchomeniis si Hesiodi sepulcro quod dicebatur epigramma a quovis poeta confectum inscripserint, hoc ad Chersiam, proprium eorum poetam (‚*ἀνὴρ Ὀρχομένιος*' Paus.) referendum fuisse? Postremo, num omnino putare licet poetam epicum ca. annum 600, centum igitur paene annis ante Simonidem Ceum talia epitaphia confecisse?

Si vero a Chersia Orchomenio hoc carmen abiudicavimus, quid impedit quin Mnasalcae tribuamus, cuius temporibus maxime usitatum erat in viros illustres vel heroes titulos sepulcrales ficticios condere? — At propter dialectum Mnasalcae esse non potest qui in ceteris carminibus doricum adhibet sermonem. Quid? qui in eo epigrammate de quo supra diximus duabus dialectis promiscue usus est, eum negamus ullum epigramma ionica dialecto componere potuisse, praesertim cum Hesiodi sepulcro inscriptum fingeret? Haec igitur causa nulla est. Itaque pentametrum illum profecto ex Mnasalcae ep. translatum esse in Pepli ep. 19 de Ascalapho et Ialmeno fictum existimo, ubi, cum hi quoque ut Hesiodus in ‚*γῇ Μινυῶν*' Orchomeni scilicet sepulti dicerentur, haud male quadrabat.

Confirmatur autem ni fallor quod statuimus epigram-

matum auctorem Mnasalcae carmina novisse Podarcis epitaphio (26). In quo primum offendunt verba *Ἄκτορος υἱόν* — Homerus enim et poetae reliqui Podarcem Iphicli filium esse dicunt — pro quibus Slothouwerum secutus Schneidewin ex Il. *B* 704 *ὄζον Ἄρηος* posuit; sed hanc coniecturam inutilem esse censeo, restat enim etiamsi eam recipiamus alterum nullo alio loco traditum, Podarcem in Sicyoniorum finibus sepultum esse; itaque fabula prorsus diversa subest. Deinde quomodo *ὄζον Ἄρηος* in *Ἄκτορος υἱόν* abire potuerit non intellego. Accedit quod Actor a Podarce non tantum distat quantum videri possit; etenim uterque in Phthiotarum fabulis suum locum obtinebat: Actor Phylaci frater erat, cuius filius Iphiclus Podarcem genuit. Itaque fabulam aliquam exstitisse arbitror quae Podarcem non Iphicli filium, sed Actoris dicebat; hunc autem Podarcem a Sicyoniis in ipsorum finibus sepultum esse tradi. Fortasse sepulcrum quoque exstabat cui vel inscriptum erat vel vulgo ferebatur ‚Podarcem Actoris filium' ibi situm esse; quod postea Podarci Homerico addici poterat. Quibus ex causis maxime veri simile mihi videtur epigrammatum auctorem qui cum in ceteris rebus Homerum semper sequeretur aut ei certe non aperte obloqueretur, de Podarce ab eo prorsus dissensit Sicyoniorum scilicet fidem secutus, Sicyonium ipsum fuisse vel Sicyone aliquamdiu degisse. Iam ad Mnasalcam ut revertamur, nonne cum eo quod statuimus mire convenit, quod hic poeta Sicyonius fuisse traditur?

His adde quod epigrammati illi a Mnasalca in Hesiodum composito ex quo ad ep. 19 conficiendum auctor unum totum versum sibi arripuit, ep. 26, de quo modo locuti sumus, simillimum est ita ut mihi quidem persuasum sit hoc esse malam imitationem illius; cf. singula:

| | |
|---|---|
| *Ἄσκρη μὲν πατρὶς . . (Ἡσιόδου)* | *γῆ μὲν Ἀχαιὶς ἔθρεψε Ποδάρκην κτλ.* |

| | |
|---|---|
| *ἀλλὰ θανόντος ὀστέα* | *οστέα δ' αυ . . . φθιμένου* |
| *γῆ Μινυῶν κατέχει* | *Σικυὼν γῆ κατέχει.* |

Iam si recte exposuimus hunc poetam Mnasalcae epigrammata manibus tenuisse, facillime explicatur quomodo in Aiacis epitaphium incidere potuerit. Etenim satis est probabile id ipsum carmen cuius argumentum immutavit, ante *παρῳδίαν* suam protulisse (ut Porphyrius quoque utrumque apposuit) itaque in his ipsis epigrammatis ille invenire poterat.

Sed ne tum quidem si omni dubitatione careret hunc Mnasalcae vestigia legisse de aetate horum epigrammatum inde multum disceremus, cum de Mnasalcae aetate nihil certi compertum haberemus [1]). Id solum affirmari posse videtur eum tertio saeculo vixisse.

Itaque videndum est num apud poetas magis notos inveniamus quae epigrammatum scriptor aut recepisse aut imitatus esse videatur.

Ac primum quidem Lycophronis Alexandrae nonnullos locos notabo, cuius carminis cum praecipua pars in heroum reditu et obitu narrando versaretur ei qui carmina in eos sepulcralia fingere vellet idoneam materiam praebebant. V. 592 sq. Diomedes narratur in Magnam Graeciam pervenisse, ubi socii eius in aves mutati sunt, de quibus v. 598 sq. haec legimus:

*ῥάμφεσσι δ' ἀγρώσσοντες ἐλλόπων θοροὺς*
*φερώνυμον νησῖδα νάσσονται πρόμον.*

Diomedia insula a compluribus commemoratur; sed vide quomodo epitaphii auctor eam significet (ep. 14):

1) Theodoridae epigramma Anth. Pal. XIII 21 quo Mnasalcas mortuus illuditur non multum iuvat, cum ipsius Theodoridae aetas non satis constet; nam Meursii coniectura qua effici videbatur eum Euphorionis aequalem fuisse (cf. Meineke Anal. Al. 18) nimis incerta est; eum Euphorione mortuo superstitem fuisse ep. Anth. Pal. VII 406 docet.

*αἰνητὸν πάντεσσιν ἐπιχθονίοις Διομήδην*
*ἥδ' ἱερὰ κατέχει νῆσος ὁμωνυμίη.*

Itaque non solum in re, sed etiam in genere dicendi Lycophronem *τὸν αἰνιγματώδη* sequitur, et cum neque *φερώνυμος* vocabulum neque magis *ὁμώνυμος* pentametro aptum sit, in pravam illam formam *ὁμωνυμίην* quae in adiectivo neque usquam invenitur nec ferri potest delapsus est [1]).

In ep. 23: *υἱὸν . . . Ἀνδραίμονος ἠδὲ θυγατρὸς Γόργης τῆς Οἰνέως* satis mirum est additum matris nomen, cuius rei praeter hoc ep. duo tantum exempla sunt: in ep. 4, quod Achillem *παῖδα θεᾶς Θέτιδος* appellat, et in ep. 17, ubi legimus *Νιρέα τὸν Χαρόπου παῖδα καὶ Ἀγλαΐης*, versum e Boeotiae Homericae v. 672 transformatum. Gorges vero nomen cum neque in navium catalogo ex quo talia pleraque sumpsit praesto habuerit neque ullo alio Homeri loco invenire potuerit, ei obversatum esse puto Lycophronis versum 1013, ubi Thoantem appellat

*στρατηλάτην σῦν καρτερὸν Γόργης τόκον*

praesertim cum et epigramma et Lycophro ipsius Thoantis nomen omittat, quod hic sane adamavit, in epigrammatis autem praeter hunc locum semel tantum factum est (in ep. 12 in Ulixem, ubi aperte primum Odysseae versum imitatur). Itaque in Thoantis quoque epitaphio Lycophronis rationem auctor secutus esse videtur.

Singularis fabulae quae Hectoris corpus a Thebanis

---

1) Similia pravitatis exempla in aliis epigrammatis inveniuntur (nonnulla collegit Karsten ap. Hulleman. l. l. p. 18) cf. ep. 13 *εὐτύχεσαν* — 36 *Ἤλιδι δίῃ* (deest *ἐν*) — 56 *πατρὶς μὲν . . πᾶσιν ἀπαγγέλλω* (deest *δὲ*). — Collocatio verborum mala est in ep. 23 *θυγατρὸς Γόργης τῆς Οἰνέως*; hiatum deprehendis in ep. 22 *Ὀρμενίῳ Εὐαίμονος*, 23 *ὑπερθύμου Ἀνδραίμονος*, 48 *Ὀρφέα ἐν*, 36 *δῶμ' Ἀίδαο ἔβαν*; pravam prosodiam 30 *Ἀγκαίου υἱός* — ⏑⏑ — ⏓.

oraculi iussu advectum et prope urbem ipsorum sepultum esse tradebat, primum vestigium apud Lycophronem invenimus, alterum in Pepli ep. 46: praeterea narratur ab Aristodemo Thebano FHG III 310[1]) et a Pausania IX 18, 5. Quare non mihi videor nimis temere contendere, epigrammatum auctorem rarissimam illam fabulam ex Lycophrone quippe qui talia ex obscurissimis fontibus diligenter congerere soleret hausisse.

Praeterea ex Alexandra sumpta esse possunt ea quae de Agapenore in Cypro insula (cf. ep. 30 Lyc. 479 sq.) de Ulysse in Tyrrhenia sepulto (inscr. ep. 12 Lyc. 805 sq.) auctor ille sciebat.

Quamquam non ubique Lycophronem secutus est; de reliquorum enim ducum sepulturae locis nonnusquam ab illo dissentit; velut in hisce:

Idomeneus Colophone sepultus (cum eo Sthenelus): Lyc. 424. 431; in Creta (cum eo Meriones): ep. 15.

Podalirius solus in Italia mortuus: Lyc. 1047 sq.; cum Machaone Triccae: ep. 20.

Eurypylus in Libya mortuus: Lyc. 901; *πάτρῃ ἐν Ὀρμενίῳ* ep. 22.

Philoctetes in Italia mortuus: Lyc. 911 sq.; *γῆ Μινυάς* ep. 24.

Elephenor in Epiro mortuus: Lyc. 1034 sqq.; *ἐνὶ Τροίῃ* ep. 33.

Sthenelus Colophone mortuus: Lyc. 433; *ἐν Ἄργει* ep. 35 (inscr.).

De Elephenore quidem secutus est Homerum qui hunc *Δ* 467 sqq. occidi facit; de ceteris autem iam Schneidewin (Philol. I ad ep. 22) recte observavit epigrammatum auctorem (quem ipse Aristotelem fuisse credebat) ‚fere fabulas coloniarum aspernari et heroes Troianos in patriam reduces facere‘.

---

1) Hunc locum mihi suppeditavit Guilelmus Radtke sodalis.

Post Lycophronem igitur epigrammata Pepli confecta esse videntur. Sed longius procedere nobis licebit si quidem recte Callimachi imitationem in iis invenisse mihi videor. Conferas enim ad Pepli ep. 28:

*σῶμα μὲν ἐν πόντῳ Προθόου Τενθρηδόνος υἱοῦ*
*κεῖται, ἀνοίκτιστον δ' οὔνομα τύμβος ἔχει*

Callimachi ep. 17 (quod iam Schneidewin comparandi causa attulit), v. 3:

*νῦν δ' ὃ μὲν εἰν ἁλί που φέρεται νέκυς, ἀντὶ δ' ἐκείνου*
*οὔνομα καὶ κενεὸν σῆμα παρερχόμεθα,*

imprimis autem (quod Schneidewin praetermisit) ep. 18, v. 3:

*. . . χὼ μὲν ἐν ὑγρῇ*
*νεκρὸς, ἐγὼ δ' ἄλλως οὔνομα τύμβος ἔχων*
*κηρύσσω κτλ.*

Itaque Callimachi epigrammata ille novit; an Callimachum ex his vilissimis versibus sua sumpsisse putemus?[1])

Itaque si recte disputavimus epigrammatum Pepli aetas ita definiri potest ut post Callimachum et ante Diodori fontem qui fortasse Apollodorus fuit (cf. p. 44), confecta sint; probabile igitur videtur ea non, ut Bergk fecit, altero vel primo a. Chr. saeculo ponenda esse, sed tertio potius vel altero, inter annos fere 250 et 150. Atque in hoc temporis spatium tales versiculos apte inseri nemo non concedet[2]).

---

1) Adde quod in ep. 5 Achilles *Θεσσαλὸς ἀνήρ* appellatur, ut in Callimachi fr. 466.

2) Iam vides Eurymachi epitaphium quod supra tractavimus (p. 47) non posse e Peplo mutuatum esse; titulus enim ille quarto a. Chr. saeculo confectus est. Pepli igitur epigrammatarius illos quoque versus ex antiquiore poeta sumpsit; num vero ex ipso hoc lapide descripserit dubito. Verisimilius mihi videtur utramque formam ex antiquiore epigrammate fluxisse quod in quem conditum fuerit ignoramus. — Oedipi quoque epitaphium quo ca. annum 300 a. Chr. n. vasculi

Qua ex ratiocinatione evincitur id quod per se elucet neque Aristotelem neque Theophrastum haec epigrammata fecisse. Cum vero in Peplo iam ante Diodorum (vel Apollodorum) infuerint, quaeritur utrum totus Peplus eodem tempore confectus sit — tum igitur subditicium opus esset — an epigrammata postea inserta sint (cf. Bergk. PLG II 341). Si autem recte exposuimus eundem fuisse Peplum Aristotelicum et Theophrasteum atque Stratonem Theophrasti successorem eum novisse (cf. epim. I p. 63) de hac quaestione dubitari non potest, sed statuendum videtur aliquem hominem ei Pepli parti qua heroum genealogiae expositae erant, singulorum heroum epitaphia adiecisse. Hoc autem eo fit veri similius quod hi versus tam exiles minime consentiunt cum doctrina haud mediocri qua et genealogias et ceteras Pepli partes quantum cognosci poterant insignes fuisse vidimus. Itaque hoc quidem argumentum quod contra Aristotelem ut Pepli auctorem proferri solet nullum est. Vel hoc licet dubitare sintne haec epigrammata propter Pepli genealogias confecta an per se exstiterint ab initio; et mihi quidem hoc ideo magis placet quod doctrinae genealogicae quam Peplus praebebat nullum in illis apparet vestigium; quae res explicari vix posset si poeta qui materiam suam undique conflavit genealogiarum copiam ante oculos habuisset.

Cum de Peplo Aristotelico-Theophrasteo — sit venia verbo — supra dissererem non ignorabam me ab Useneri sententia quam de Theophrasti fragmento a se edito exposuit Mus. Rhen. XXV 606, longe discessisse; sed quamquam virum illustrissimum aliter iudicaturum fuisse existimo si fragmentum Laudunense tunc temporis

---

pictor usus est Pepli epigrammatario antiquior esse debet; unde sequitur hanc formam quae ad Oedipum pertinet genuinam, Hippothoi Pylaeique epitaphium imitationem esse.

nondum publici iuris factum novisset, tamen de eius opinione pauca mihi videntur dicenda esse. Putavit igitur ‚variam in Theophrasteo quoque Peplo historiam brevibus dictis et quae facile memoriae mandarentur comprehensam fuisse‘. Deinde pergit sic: ‚atque sine dubio Aristotelis exemplum ut similem Theophrasto fetum supponeret, nebulonem quendam commovit‘. ‚ceterum talem hominem quis credat indice tantum libri et argumenti varietate exemplum Aristotelis expressisse, formam metricam tam paene necessariam huic scribendi generi respuisse?‘ Videtur igitur vir doctissimus veteris eorum erroris particeps fuisse qui Peplum Aristotelicum totum ex versibus constitisse existimarent. Quo falso exemplo nisus Usener in fragmento Bernensi trimetri iambici numeros repperisse sibi visus est qui cum inelegantissime sit conformatus, hoc existimavit ‚indicio esse hos versus memoriales aevo Byzantino . . sed ante medium saeculum septimum . . confictos et Theophrasti nomine vendidatos esse‘. Quae coniectura altero fragmento Pepli Theophrastei refellitur; hoc enim cum litterarum signis allatis in trimetrorum formam redigi non posse manifestum est. Et ut fuerint versus quomodo explicatur quod hi versus memoriales Byzantini cum Plinio ad verbum fere concinunt? Vidimus autem Plinium in inventionum catalogo ex optimis fontibus peripateticis hausisse atque hoc ipsum quod agit de litteris fragmentum eum Aristotelis nomine artissime coniunctum esse. Similem autem rationem inter fragmentum Bernense et Aristotelem intercedere cognovimus.

Itaque quamquam Peplum vere peripateticum fuisse non ita comprobare potuimus ut res omni dubitatione vacet, tamen sub finem huius disputationis repetere licet neminem adhuc certa argumenta protulisse quibus librum illum spurium fuisse evincatur; verum id argumentum quo praecipue nitantur huius opinionis defensores, cum epi-

grammata illa Aristotele indigna esse dicant, nullum esse. Talia autem collectanea qualia singulis Pepli partibus contineri vidimus in peripateticorum studiis historicis optime locum habere nemo non concedit. Itaque in hac quoque re Peripatetici grammaticis Alexandrinis viam munivisse videntur. Quomodo autem huius generis opera et quem ad finem composita sint (cf. p. 16), tum demum plane cognoscere licebit cum tota materia quae ad has inventionum, amorum deorum, similium collectiones pertinet congesta atque disposita erit.

Tum fortasse hae quoque quaestiones quas de Peplo instituimus non sine fructu retractabuntur.

---

## Epimetrum I: **De Stratone et Ephoro.**

In praecipuis catalogi Pliniani (VII 199 sqq.) fontibus habendum esse Stratonem supra (p. 6) suspicati sumus. Quem cum Plinius in catalogo ipso ne semel quidem nominatim attulerit, nullo modo libri eius vestigia apud illum cerni possent nisi consilium quo erat scriptus optime nos adiuvaret. Quod a Plinio his verbis exponi vidimus: (Strato) ‚qui contra Ephori *εὑρήματα* scripsit‘ (ind. l. VII) ad quae bene quadrat quod Diogenes V 60 inter Stratonis scripta affert *εὑρημάτων ἐλέγχους δύο.* Itaque cum hic Stratonis liber Ephori praecipue refutandi causa scriptus esset haud dubie nullum scriptorem saepius in eo nominari opus erat quam Ephorum. Cum vero Ephorus neque a Clemente Alexandrino quod ad *εὑρήματα* attinet inter auctores referatur neque sit veri simile Plinium de hisce rebus Ephorum ipsum inspexisse — quod enim in

indice libri VII citatur, pertinet ad § 154 — ea quae in Plinii Clementisque catalogis inventionum ex Ephoro petita esse invenerimus, per Stratonem ad hos scriptores pervenisse licebit concludere. Ephorus autem in duobus illis catalogis non citatur nisi semel a Clemente atque de litterarum quidem inventione, sed hic unus locus summi est momenti:

> *Κάδμος δὲ Φοῖνιξ ἦν ὁ τῶν γραμμάτων Ἕλλησιν εὑρετής, ὥς φησιν Ἔφορος, ὅθεν καὶ Φοινικήια τὰ γράμματα Ἡρόδοτος κεκλῆσθαι γράφει. οἱ δὲ Φοίνικας καὶ Σύρους γράμματα ἐπινοῆσαι πρώτους λέγουσιν* eqs.

Sine dubio Clementis auctor eadem praebebat quae de hac re legimus in scholiis in Dionysium Thracem (Bekker anecd. 783, 1 = Cramer an. Ox. IV 318, 13; cf. p. 10); ex hoc autem discimus qui Clementis ‚*οἱ δὲ*‘ fuerint: Aristoteles fuit qui loco Herodoteo V 58 usus esse videtur: *τῶν στοιχείων εὑρετὴν ἄλλοι τε καὶ Ἔφορος ἐν δευτέρῳ Κάδμον φασί. τινὲς δὲ τῆς Φοινίκων εὑρέσεως πρὸς ἡμᾶς διάκτορον γεγενῆσθαι, ὡς καὶ Ἡρόδοτος ἐν ταῖς ἱστορίαις καὶ Ἀριστοτέλης λέγει· φασὶ γὰρ ὅτι Φοίνικες μὲν εὗρον τὰ στοιχεῖα, Κάδμος δὲ ἤγαγεν αὐτὰ εἰς τὴν Ἑλλάδα.* Herodotus igitur qui utroque loco affertur a Clemente non recte est collocatus; nam litteras non quod a Cadmo sed quod a Phoenicibus inventae sint phoeniceas appellatas esse dicit.

Opponuntur igitur inter se et apud Clementem et in scholiis Dionysianis Ephori et Aristotelis sententiae, cum Plinius (cf. p. 7) hanc pro illa substitutam exhibeat. Itaque non possum non concludere et Clementem Alexandrinum et Lucillum Tarrhaeum cui scholia illa Dionysiana debentur a Stratone pendere qui Ephorum Aristotelis sententiis refellere studuit. Quod confirmari mihi videtur altero horum scholiorum loco (Bekker p. 782, 14 sq.), ubi primum quidem eadem fere quae modo apposuimus, sed

in angustum deducta exstant. Deinde octo scriptores afferuntur qui cum litteras a Graecis quam a Phoenicibus inventas esse maluerint, *ἀπορίαν* illam cur ‚phoeniceae‘ appellarentur variis modis iisque satis artificiosis explicare conati sunt. Tum autem haec sequuntur quibuscum conferas locum Plinianum supra tractatum:

| | |
|---|---|
| *εὑρεταὶ δὲ τῶν λοιπῶν τῶν χαρακτήρων τουτέστι τῶν ὀκτώ, οἷον τῶν δύο μακρῶν καὶ τῶν τριῶν διπλῶν καὶ τριῶν δασέων δηλοῦνται*[1]) *Σιμωνίδης μὲν ὁ Κεῖος τῶν δύο μακρῶν καὶ τοῦ $\overline{\xi}$ καὶ τοῦ $\overline{\psi}$, Παλαμήδης δὲ τῶν δασέων καὶ τοῦ $\overline{\zeta}$, ἢ ὥς φασί τινες Ἐπίχαρμος ὁ Συρακούσιος.* | . . . in Graeciam intulisse e Phoenice Cadmum sedecim numero quibus Troiano bello Palamedem adiecisse quattuor figuras *ΖΘΦΧ*, totidem post Simonidem melicum *ΗΞΨΩ* . . . Aristoteles decem et octo priscas fuisse et duas ab Epicharmo additas *ΘΧ* quam a Palamede mavolt. |

Apparet igitur in scholiis Dionysianis eadem fere ratione qua apud Plinium et apud Hyginum (cf. p. 29) coniuncta esse quae Aristoteles et Theophrastus de litterarum inventione dixerint; nisi quod apud solum Plinium accurate discerni potest utriusque sententia, apud Hyginum autem et scholiastam altera altera commixta atque contaminata est.

Iam si supra (p. 6 sqq.) recte exposuimus Pliniana illa ex Peplo manasse, Plinii autem et Clementis et scholiastae communem fontem Stratonem fuisse, necessarium videtur statuere Stratonem ipsum Peplo usum esse. Quae si ita se habent dubitari vix potest quin hic liber genuinus fuerit, certe ad Theophrastum Stratonis magistrum redierit. Unde apparet quanti momenti ad hanc quaestionem solvendam sit quam plurima Stratonis fragmenta protrahere. Et ad nonnulla quidem eruenda Ephorum nobis viam munire vidimus.

---

1) Codicum scripturam *εὕρηνται . . . . δηλοῦντες* correxi.

Ephori autem vestigia atque, ut mihi quidem videtur, Stratonis in hoc quoque Plinii loco cerni possunt: (198) ‚figlinas invenit Coroebus Atheniensis, in iis orbem Anacharsis Scythes, ut alii Hyperbius Corinthius‘, quocum conferas fragmentum Ephori (ex libro quarto) apud Strabonem VII 302 sq.: *καὶ τὸν Ἀνάχαρσιν δὲ ἄνθρωπον σοφὸν καλῶν ὁ Ἔφορος τούτου τοῦ γένους φησὶν εἶναι· νομισθῆναι δὲ καὶ ἑπτὰ σοφῶν ἕνα, τελείᾳ σωφροσύνῃ καὶ συνέσει· εὑρήματά τε αὐτοῦ λέγει τά τε ζώπυρα καὶ τὴν ἀμφίβολον ἄγκυραν καὶ τὸν κεραμεικὸν τροχόν.* Quae Strabo deinde addit: *ταῦτα δὲ λέγω σαφῶς μὲν εἰδὼς ὅτι καὶ οὗτος αὐτὸς οὐ τἀληθέστατα λέγει περὶ πάντων καὶ δὴ καὶ τὸ τοῦ Ἀναχάρσιδος. πῶς γὰρ ὁ τροχὸς εὕρημα αὐτοῦ ὃν οἶδεν Ὅμηρος πρεσβύτερος ὤν· ὡς δ' ὅτε τις κεραμεὺς τρόχον κτλ.*, cum ‚contra Ephori *εὑρήματα*‘ scripta essent Brusskern (de rerum invent. scriptor. graecis p. 42 adn.) ex Stratone fluxisse suspicatus est; ac potest sane res sic se habere; quadrant enim quae Ephoro a Strabone obiciuntur haud male ad ea quae apud Plinium ‚alii‘ Ephori opinioni opponunt, Hyperbium Corinthium invenisse *τὸν τροχόν.* Nam feliciter accidit ut qui fuerint hi cognoscere possimus e scholiis in Pindari Ol. XIII 27: *Θεόφραστος δὲ ἐν τῷ περὶ εὑρημάτων Ὑπέρβιον τὸν Κορίνθιόν φησιν εὑρηκέναι τὴν τοῦ κεραμεικοῦ τροχοῦ μηχανήν.* Iam si apud Plinium Ephori sententiae de rota figulari inventa opponitur sententia Theophrasti, ut supra de litterarum inventione Aristotelis et Ephori opiniones contrarias invenimus, nonne optime haec quadrant ad Stratonem? — Ceterum de Ephoro fortasse pendent Stoici, cf. Posidonium ap. Senec. epist. mor. XIV 2, 31.

Addendum est quod aliud *εὕρημα* Anacharsidi ab Ephoro tributum, *ἀμφίβολος ἄγκυρα* apud Plinium invenitur (§ 209): ‚ancoram (inv.) Eupalamus, eandem bidentem Anacharsis‘. Cum autem Plinius adversam sententiam

non addat alium respicias locum quo Ephorus propter hoc inventum castigatur, in scholiis in Apollonium Rhod. I 1276 *γελοῖος δὲ Ἔφορος νομίζων πρῶτον Ἀνάχαρσιν τὴν διπλῆν ἄγκυραν εὑρηκέναι· πρεσβύτεροι γὰρ Ἀναχάρσιδος οἱ Ἀργοναῦται.* Haec quoque ex Stratone fluxisse conicere licet (cf. Strab. l. c. *Ὅμηρος πρεσβύτερος*).

Sed Anacharsidem nondum dimitto. Hunc enim non solum Ephorus sed imprimis Clemens Alexandrinus in deliciis habebat et Graecis ut barbarum sapientissimum opponere maxime gaudebat. Itaque paulum ante inventorum catalogum in Stromat. I 16 (361 *P*) compluribus locis prudentiam eius summis laudibus effert; atque ubi septem sapientes enumerat dicitque de septimo inter viros doctos vehementer certari, inter eos qui ab his proponebantur post Periandrum statim Anacharsidem affert. Iam vero respicias Diogenis I 41 ubi eadem controversia tractatur unde discimus Ephorum quoque in ea sententiam dixisse: . . *Πλάτων δ'ἐν Πρωταγόρᾳ Μύσωνα ἀντὶ Περιάνδρου* (*ἐγκρίνει*), *Ἔφορος δὲ ἀντὶ Μύσωνος Ἀνάχαρσιν,* quibuscum conferas Ephori ipsius verba quae Strabo loco supra (p. 64) adscripto servavit. Sed quid haec ad Stratonem? Nonne mire fere accidit quod unicum Stratonis *περὶ εὑρημάτων* fragmentum adhuc notum in hoc ipso Clementis capite exstat, et cum hac de septem sapientibus quaestione artissime cohaeret? Loquitur enim Clemens de eorum dictis atque complurium virorum doctorum opiniones profert quorum alius alii singula tribuit, et de ‚*μηδὲν ἄγαν*' quidem haec dicit: *Χίλωνι τῷ Λακεδαιμονίῳ ἀναφέρουσι τὸ ‚μηδὲν ἄγαν', Στράτων δὲ ἐν τῷ περὶ εὑρημάτων Στρατοδήμῳ* (sic cod.) *τῷ Τεγεάτῃ προσάπτει τὸ ἀπόφθεγμα. Δίδυμος δὲ Σόλωνι αὐτὸ ἀνατίθησι*[1]). Iam cum cognorimus Stratonem in hoc libro

1) Hoc Stratonis fragmentum Kremmer omisit; sed p. 104

Ephorum refutasse quod inventa nonnulla inepte Anacharsidi tribuisset, praeterea autem controversias de septem sapientibus attigisse, mihi quidem necessarium videtur concludere, ne eam quidem Ephori opinionem, Anacharsidem unum ex septem sapientibus fuisse, a Stratone esse neglectam. Itaque in hac quoque re Clemens a Stratone pendet. Cum Clementis autem loco conferas schol. in Euripidis Hippolyti v. 264: τὸ μηδὲν ἄγαν οἱ μὲν Χίλωνι ἀνατιθέασιν, ὡς Κριτίας, οἱ δὲ Σωδάμῳ ὡς τὸ ἐν Τεγέᾳ ἐπίγραμμα δηλοῖ·

ταῦτ' ἔλεγεν Σώδαμος Ἐπηράτου, ὅς μ' ἀνέθηκεν·
μηδὲν ἄγαν, καιρῷ πάντα πρόσεστι καλά.

ὁ δὲ Θεόφραστος ὡς τὰ Σισύφου λεγόμενα καὶ Πιτθέως, οἷον ‚μηδὲν ἄγαν', ‚μηδὲ δίκαν δικάσῃς' (cf. schol. Pind. Pyth. II 63. Diog. I 41). Quae cum Clemente tam bene consentiunt ut ad supplendum Stratonis fragmentum adhiberi possint; itaque recte apud illum Menagius nomen Σωδάμῳ pro Στρατοδήμῳ restituit [1]) (minus recte Muelleri FHG II 369 Ἀριστοδήμῳ scripserunt quod Eichholtz p. 35

n. de Stratone et Ephoro quamquam dubitanter nonnulla dixit quae cum nostra sententia bene conveniunt. Addendum igitur Stratonis fragmentis supra congestis videtur, quod Plinius VII 201 ‚testudines Artemonem Clazomenium' invenisse narrat, collato Ephori fr. 117 (Plutarchi Pericl. 27): Ἔφορος δὲ καὶ μηχαναῖς χρήσασθαι τὸν Περικλέα τὴν καινότητα θαυμάσαντα Ἀρτέμωνος τοῦ μηχανικοῦ παρόντος ὃν . . . ὀνομασθῆναι Περιφόρητον. τοῦτο μὲν οὖν Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐλέγχει (cf. Stratonis εὑρημάτων ⟨sc. Ἐφόρου⟩ ἐλέγχους δύο) τοῖς Ἀνακρέοντος ποιήμασιν ἐν οἷς ὁ Περιφόρητος Ἀρτέμων ὀνομάζεται πολλαῖς ἔμπροσθεν ἡλικίαις τοῦ περὶ Σάμον πολέμου καὶ τῶν πραγμάτων ἐκείνων (cf. Diod. XII 28, 3). Hoc Heraclidis argumento Strato usus sit; unde suspicio oritur ea quoque quae in Plinii catalogo latent fragmenta Heraclidae, quem in indice auctorum affert, per Stratonem ad Plinium pervenisse.

1) Corruptela ex Stratonis nomine quod antecedit fluxerit.

frustra defendit). Profecto autem apud scholiastam quoque latere Stratonis fragmentum indicari mihi videtur eo quod statim post epigramma Theophrasti sententia additur.

Sed apud Clementem quoque alia Stratonis vestigia exstare puto; si enim contuleris quae de ‚μηδὲν ἄγαν‘ et de ‚ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα‘ dicit, videbis de utraque sententia tres afferri opiniones ac tertio utroque loco Didymum citari [1]); itaque vix casui tribues quod altero loco Stratonis mentioni respondent verba: *οἱ δὲ περὶ Ἀριστοτέλη Χίλωνος αὐτὸ νομίζουσι*, sed haec quoque ad Stratonis librum referenda putabis. Tum vero quasi per se apparet etiam ea quae de ‚γνῶθι σαυτόν‘ sententia Clemens dicit: Ἀριστοτέλης δὲ τῆς Πυθίας (ὑπείληφε) eidem fonti esse tribuenda; quin etiam Chamaeleo Peripateticus qui eandem sententiam Thaleti addixit fortasse a Stratone adhibitus erat.

Sed ad Plinium revertamur; cuius verba (§ 204): ‚saltationem armatam Curetes docuere, pyrrichen Pyrrus, utramque in Creta‘ conferas cum iis quae Strabo X p. 480 exhibet: ἀσκεῖν δὲ (sc. τοὺς Κρῆτας *Ἔφορός* φησι) καὶ τοξικῇ καὶ ἐνοπλίῳ ὀρχήσει, ἣν καταδεῖξαι Κουρῆτα πρῶτον, ὕστερον δὲ † καὶ συντάξαντα τὴν κληθεῖσαν ἀπ' αὐτοῦ πυρρίχην, ubi lacunam quam indicavi Casaubonus e Mario Plotio de metris (VI 497 Keil) optime explevit ‚Πύρριχον τὸν‘ [2]). Plinius autem cum pro Pyrricho habeat Pyrrum, id neglegentiae aut scriptoris aut librarii tribui ideo nequit quod ex Marii loco apparet ab ‚aliis‘ revera Pyrrum

---

1) Haec omnia per Didymum ad Clementem pervenisse videntur. Cf. etiam Maass, De biogr. gr. 107.

2) Marii verba appono: ‚ipsa tamen pyrricha dicta est a Pyrricho Cydonio qui primus Cretenses sub armis saltare ad huius pedis sonum instituit. alii dicunt a Pyrro Achillis filio quem primum in tumulo patris sui armatum honoris gratia saltavisse. Aristoteles autem Achillem ait huius lusus inventorem fuisse‘.

Achillis filium pyrriches inventorem habitum esse. Contaminavit igitur sive Plinius sive auctor eius duas illas sententias; quod iis verbis quae addit ‚utramque in Creta' maxime confirmatur, quae non ad Pyrrum sed ad Pyrrichum quadrant. Itaque cum Marius Plotius Plinii fontem puriorem reddat quam Plinius ipse, hic autem fons quoniam de Ephori sententiis agitur, nemo fere nisi Strato esse possit — nimirum non ex ipso Stratone hausit —, vide quam bene quadret quod Plotius Aristotelis de hac inventione opinionem addit quae etiam in scholio in Pindari Pyth. II 127 servata est: *Ἀριστοτέλης δὲ πρῶτον Ἀχιλλέα ἐπὶ τῇ τοῦ Πατρόκλου πυρᾷ τῇ πυρρίχῃ φησὶ κεχρῆσθαι, ἣν παρὰ Κυπρίοις φησὶ πρύλιν λέγεσθαι, ὥστε παρὰ τὴν πυρὰν τῆς πυρρίχης τὸ ὄνομα θέσθαι.* Quod Plinius hanc Aristotelis sententiam non recepit in totius catalogi indole nimis angusta positum est. Sufficit autem cognovisse de hac quoque inventione Ephorum et Aristotelem dissensisse.

Porro ex Ephoro fluxisse puto quae Plinius § 198 exhibet ‚mensuras et pondera Phidon Argivus' (invenit); etenim ille apud Strabonem VIII 358 haec dicit: *Φείδωνα δὲ τὸν Ἀργεῖον . . . . . . . . καὶ μέτρα ἐξεῦρε τὰ Φειδώνεια καλούμενα καὶ σταθμοὺς καὶ νόμισμα κεχαραγμένον τότε ἄλλο καὶ τὸ ἀργυροῦν* (cf. ib. 376 *Ἔφορος δ' ἐν Αἰγίνῃ ἄργυρον πρῶτον κοπῆναί φησιν ὑπὸ Φείδωνος*). Cur de argento Plinius taceat causam non video.

Postremo cum Plinii § 196 ‚Aegyptii textilia (inv.)' conferas Crameri Anecd. Paris. III p. 119 *πρώτην δὲ γυναῖκα Αἰγυπτίαν τοὔνομα Ὕρ καθεζομένην ὑφᾶναί φασιν. ἀφ' ἧς καὶ Αἰγύπτιοι τῆς Ἀθηνᾶς ἄγαλμα ἱδρύσαντο, ὥς φησιν Ἔφορος ἐν τοῖς εὑρήμασιν.*

Ne autem ea praetermittam inventa de quibus Plinii catalogus ab Ephoro dissentit neque vero huius opinionem addit, cf. Plinii § 201 ‚fundam (inv.) Pisaeum Tyrrhenum'

et Ephorum apud Strabonem VIII 357: *τυχεῖν δὲ νεωστὶ ὑπὸ τῶν Αἰτωλῶν εὑρημένον τὸ τῆς σφενδόνης εἶδος* .... — Ubi licet adnotare Plinium paulo ante fundae inventionem Aetolorum et Aetoli Martis filii inventa commemorare.

Mentione denique est dignum quod Ephorus de ludis Olympiae institutis a Peplo Aristotelico Plinioque differt; cf. Strabonis VIII 358 *Ἴφιτόν τε θεῖναι τὸν Ὀλυμπιακὸν ἀγῶνα* (cf. quae antecedunt), ex Ephoro sumpta, cui etiam quae Strabo ib. 354 sq. contra Herculem ut Olympiorum conditorem disserit tribuenda sunt: *καὶ δὴ καὶ ὁ ἀγὼν εὕρημά ἐστιν ἐκείνων ὁ Ὀλυμπιακός* (sc. *τῶν Αἰτωλῶν*) *κτλ.*

Qualis autem fuerit praecipua dissensionis causa, quae inter Ephorum Peripateticosque de inventionibus exstabat, ex Ephori historiae consilio atque indole cognosci posse puto; etenim si vel in loco illo Strabonis modo allato videmus Ephorum omnem *μυθογραφίαν* aspernatum iudicare: *ἐᾶσαι γὰρ δεῖ τὰ παλαιὰ καὶ περὶ τῆς κτίσεως τοῦ ἱεροῦ καὶ περὶ τῆς θέσεως τοῦ ἀγῶνος* eqs. clarissime hoc apparet ex iis quae de illius opere Diodorus IV 1, 3 dicit: *Ἔφορος μὲν γὰρ ὁ Κυμαῖος, Ἰσοκράτους ὢν μαθητὴς ὑποστησάμενος γράφειν τὰς κοινὰς πράξεις, τὰς μὲν παλαιὰς μυθολογίας ὑπερέβη, τὰ δ' ἀπὸ τῆς Ἡρακλειδῶν καθόδου πραχθέντα συνταξάμενος ταύτην ἀρχὴν ἐποιήσατο τῆς ἱστορίας.* Iam si cum hoc Ephori consilio contuleris quae ex eius ,inventionibus' reliqua sunt, facile cognosces eum in his quoque mythologiam sprevisse et inventa hominibus vel nationibus quam heroibus assignare maluisse; contra Aristotelem et qui cum secuti de inventionibus scripserint Peripateticos saepissime inventores e mythologia petiisse. Hinc igitur praecipue dissensio quae inter Ephorum et Peripateticos de inventis exstabat, fluxisse mihi videtur.

Ceterum qualis necessitudo inter Ephori historias et librum *περὶ εὑρημάτων* conscriptum intercesserit, optime exposuisse mihi videtur Brusskern p. 10 sq.

## Epimetrum II: **De Hygini fabulis 221—277.**

Sub finem libri fabularum Hygini exstabant olim quinquaginta fere capita (cf. Schmidtii edit. p. 5 sq.; 258—263 ex Servio sunt interpolata) quae non historiolas sed ut tituli docent catalogos rerum et personarum memorabilium continebant. Quorum hodie supersunt 224. 225. 238—257. 270. 271. 273—277 (omitto enim hebdomades illas in cap. 221—223, de quibus probabiliter disseruit Mauricius Schmidt in Mus. Rhen. XX p. 298); ceterorum nihil nisi titulos novimus.

Priusquam autem ad ipsam rem accedamus virorum doctorum sententias breviter liceat perstringere.

Carolus Lange in dissertatione ‚de nexu inter C. Iulii Hygini opera mythologica' inscripta de illis catalogis haecce dixit: ‚Quae capita cum doctrinam non mediocrem prodant, putandum est a grammatico posterioris aetatis ex antiquioribus iisque Hygini operibus mythologicis scholarum in usum composita et Genealogiis in compendium redactis adiecta esse' (p. 8).

Contra Mauricius Schmidt (in editionis p. XXVII sqq.) omnes eos indices genuinos esse atque tertium operis Hyginiani ‚librum' effecisse contendit qui secundi libri res sub singulis notis comprehenderet. Itaque paucis tantum interpolatori tributis reliqua fere omnia ad supplendas ‚libri alterius' fabulas nunc quidem satis mutilatas arcessivit.

Conradus Bursian in Jahnii annal. tom. 93 p. 761 sqq. ubi de Langii libro disseruit, primus farraginem illam internoscere coepit. De catalogis loquitur p. 771, 773, imprimis 780 sqq. atque genuinum putat alterutrum de inventionibus caput, aut 274 aut 277; ‚mit grosser Wahrscheinlichkeit auch

.. f. 225 und .. f. 273. — zweifelhafter ist dies in Bezug auf .. f. 275 ..‘ — ‚alle übrigen Stücke halte ich für spätere Zusätze, die man unter drei Rubriken ordnen kann: 1) recapitulierende Übersichten resp. Ergänzungen zu den genealogischen Partieen: f. 226—233 . . .; 2) ähnliche gewissermassen die Stelle unserer Indices vertretende Übersichten und Ergänzungen zu den mythologischen Partieen: f. 224. 234—257 . . . .; 3) Sammlungen wichtiger Notizen aus der Litteratur- und Kunstgeschichte und Geographie: f. 221—223 . . . und 276‘. Quibus argumentis ductus sic iudicaverit, non dixit.

Qui ultimus quantum ego scio de his indicibus breviter iudicavit Georgius Knaack (Herm. XVI 585) quamquam postea additos esse putat tamen doctrinam eorum praedicat: ‚und doch weisen sie . . einen Schatz guter alter Gelehrsamkeit auf‘ ad quam sententiam illustrandam confert Phanoclis *Ἔρωτας* et Nicaeneti *κατάλογον γυναικῶν* et similia. Knaack igitur ut mihi videtur catalogos Hygini in antiquioribus indicibus iisque poeticis alexandrinis positos esse censet; de Bursiani autem sententia genuina spuriaque discernere studentis non iudicat.

Ut accurate haec quaestio tractetur, primum ut mihi quidem videtur demonstrandum est qua ratione catalogi cum ipsis Hygini fabulis cohaereant. Itaque sub finem disputationis conspectum addidi, ubi ea quae ex locis fabularum conflata sunt seposui ab iis quae aliunde congesta videntur; ipsas autem fabulas quibus excerptor usus est adscripsi. Primum quidem ea spectemus, ubi non solum nomina sed etiam quae adduntur indidem sunt petita. Cuius rei exempla facile invenies, luculentissima autem haec fere sunt: 224, 13. 14. 238, 3. 239, 4. 242, 3. 4. 6. 8. 9. 243, 1. 2. 11. 14. 15. 248, 3. 4 et alia. Sed cetera quoque quae non ad verbum omnia cum fabularum locis consentiunt, suo loco posita esse concedes, velut 224, 1—5 qui

heroes prorsus eodem ordine inter ‚Iovis filios' in cap. 155 enumerantur. Iam vides nonnulla capita tota e fabulis congesta esse: 239. 246. 248.

In reliquis fere omnibus satis magnam copiam rerum invenimus quae in fabularum libro qualem quidem nunc habemus desiderantur. Quas si quis perlustraverit coniecerit fortasse singulorum capitum tamquam fundamentum efficere idque in antiquioribus catalogis positum cui ea quae e fabulis petita sunt postea addita sint. Simulatque autem rem accuratius perpenderis videbis haec non eandem omnia speciem prae se ferre, sed alia alius generis esse.

Primum enim a ceteris ea sunt seiungenda quae res in deperditis Hygini fabulis tractatas exhibeant (cf. ‚fabularum Hygini per capita indicem' in Schmidtii edit. p. 1 sqq.): 238, 7 Aeolus 242, 5 Macareus 243, 17 Canace: cf. f. 207 ‚Macareus'; 251, 10 Orpheus: 216 ‚Eurydice'; 271, 2 cf. 212 ‚Endymion', 4 cf. 218 ‚Hyacinthus', 5 cf. 214 ‚Narcissus', 6 cf. 215 ‚Hermaphroditus'. Haec igitur in conspectu sub a) recensenda erunt. Iam iis capitibus quae tota ex Hygini fabulis composita supra attulimus addi potest 271; praeterea autem addiderim 255 ubi nihil obstat nisi Tullia (8) neque quisquam hanc hoc loco inepte commemorari non videt.

Nonnusquam enim sub finem potissimum capitum, sed aliis quoque locis inveniuntur quae non e mythologia sed ex historia petita sint: 240, 6. 243, 25 Semiramis. 247, 3 Euripides 252, 5 Romulus; 8 Camilla 255, 8 Tullia 256, 6 Lucretia 257, 7 Harmodius et Aristogiton (narrationem sequentem male esse inculcatam apparet). Nonnulla deinde e poetis maxime lectis sumpsit sive ex recenti lectione ei praesto erant sive ut res notissimas et in scholis pertractari solitas memoria tenebat. Invenies igitur quae petita sint ex H o m e r o: 243, 19 (cf. etiam Hyg. f. 125) 251, 13 256, 1 256, 4 (?) 270, 5. 9. 10; e V e r g i l i o: 240, 2

cf. Aen. VI 494—529; 249, 3 cf. VI 518 sq.; 243, 20 cf. IV; 251, 14 cf. VI; ex Ovidio 242, 14 243, 24 cf. Met. IV 55; 243, 18 cf. Met. IX 454 sq. (Byblis auctori cum Canacen attulisset, propter facinoris similitudinem in mentem venit); 247, 2 cf. Ibidis 477 sq. cum scholiis (utroque loco Actaeonis dilaniatio narratur, ut 247, 1); 253, 7 cf. Met. VII 386 sq.; praeterea addiderim 248, 2 (de Ancaei morte Hyg. f. 173 nihil dicit) cf. Met. VIII 391. Is qui de Antigona 243, 22 scripsit Sophoclis tragoediam respexisse videtur, cum Hyginus ipse (f. 72) Euripidis fabulam exhibeat. Ea quoque quae antecedunt de Iocasta nescio qua via e tragica poesi fluxisse videntur.

Quae in cap. 224 e fabulis non petita exstant ex astrologico aliquo fonte manaverunt; sed non ex Hygini astronomicis; quamquam enim singulae res in hoc quoque libro inveniuntur tamen non prorsus concinunt.

Iam vero investigandum videtur qualis fuerit is qui hos indices composuit. Vidimus eum plurima ex Hygini fabularum libro verbis anxie servatis descripsisse, alia e poetis unicuique notissimis, eaque partim ex memoria, attulisse. Quibus ex rebus id certe iam nunc colligi potest indicum auctorem fuisse hominem qui libro Hyginiano sive docendi sive discendi causa uteretur. Atque ego quidem ut illos rudibus tironum manibus quam eruditi hominis sollertia compositos putare malim, ea re adducor quod saepissime vitiis foedissimis inquinati sunt quae ex erroribus satis perspicuis nata esse nemo non videbit. Quo magis mirari licet neminem adhuc eorum naturam recte perspexisse. Ineptiarum illarum exempla quae facile augebis haec congessi:

240, 1 Clytaemnestra appellatur Thestii filia; qui error nemini accidere poterat nisi ei qui stemma in f. 77 enarratum (Thestius — Leda — Clytaemnestra) male memoria tenebat.

Prorsus eadem ratione auctor lapsus est in f. 242, 1 ubi Aegeum Neptuni filium fuisse dicit cum ei obversaretur animo fabulae 37 (p. 68, 3) initium: ‚Neptunus et Aegeus Pandionis f. . . . cum Aethra . . una nocte concubuerunt‘. Cetera enim e f. 43 addita sunt.

Quae de Lycurgo 242, 4 narrantur ad verbum fluxerunt e fab. 132. In hac vero non sibi mortem parat Lycurgus, sed uxori et filio, ipsum autem ‚Liber pantheris obiecit‘ (ib.).

242, 9 ex fab. 198 (p. 126, 10) petitum esse verba Ovidiana ‚crine fatali‘ docent quae hoc loco citantur. Mendum autem in eo inest quod Nisus se interfecisse dicitur, nam in f. 198 secundum Ovidium in avem mutatur. Neque vero rectius 255, 1 Scylla Nisi filia patrem occidisse narratur.

Ineptissime deinde in cap. 251 inter eos ‚qui licentia (sic) Parcarum ab inferis redierunt‘ Ceres Liber Hercules afferuntur, neque vero melius res cessit ib. 13—15, quorum stultissimum est ‚Mercurius assiduo itinere‘. Talium sane nemo fontem requiret. — Id quoque animadvertas quam male 251, 5 Ovidianum illud ‚alterna morte redemptus‘ ex fab. 80 detortum sit in ‚alterna morte redeuntes‘.

Cephalus 270, 6 Pandionis filius appellatur qui error fluxit e loco f. 189 ‚Procris Pandionis filia. hanc Cephalus Deionis filius habuit in coniugio‘. — Ceterum Tithoni mentio (ib. 7) fortasse eidem loco debetur (p. 120, 7).

Quae de Chrysippo rapto 271, 8 afferuntur cum fab. 85 ex qua sine dubio pendent (cf. p. 83, 25 sq.) discrepant; nam hic Laius, illic Theseus Chrysippum ‚ludis rapuit‘.

275, 12 ex f. 27 loco male intellecto haustum videtur; nam ibi t e r r a Media a Medo nomen accipit. Praeterea notabis verba inepta ‚in Ecbatanis Mediam‘.

Optime autem qua ratione auctor indices confecerit cognosci posse puto ex uno exemplo 242, 2 ‚Euenus Her-

culis f. in flumen Lycormam se praecipitavit quod nunc Chrysorrhoas appellatur'. Ad quae cum contuleris Apollodori verba I 7, 8: *Εὔηνος . . ἐπὶ τὸν Λυκόρμαν ἦλθε ποταμὸν . . . . . ἑαυτὸν δὲ εἰς τὸν ποταμὸν ἔβαλε· καὶ καλεῖται Εὔηνος ὁ ποταμὸς ἀπ' ἐκείνου* — assentiere mihi statuenti olim ab Hygino fabulam illam ex communi fonte, mythographo scilicet Betheano, descriptam esse iisdem fere verbis atque inde auctorem indicum sua sumpsisse. Sed cum id quidem memoria teneret fluminis nomen esse mutatum, novum autem nomen oblitus esset, fabularum locus ei in mentem venit ubi alius fluminis *μετωνομασία* narrata erat p. 122, 18 (f. 191): ,(Pactolus) quod flumen nunc Chrysorrhoas appellatur'. Itaque ea quae 242, 2 nunc exstant sensu cassa, neglegentia auctoris e duobus diversis rebus conflata sunt. Talia autem aut ut Hygini sententiam proferre (quod fecit Stoll apud Roscherum Myth. Lex. p. 1399) aut uncis saepire (ut M. Schmidt in edit. voluit) aeque cavendum est. Quod autem indicis scriptor Euenum non Martis, ut Apollodorus et reliqui, sed Herculis filium nuncupat, declaratur ex f. 162 (p. 16, 2) ubi inter Herculis filios ille enumeratur.

Quae cum ita se habeant apparet his indicibus non nisi summa cautione uti licere, praesertim autem in iis quae a ceteris scriptoribus non traduntur diligentissime esse investigandum num in mero errore posita sint ut ea quae supra disceptavimus. Atque in nonnullis quidem hoc mihi videtur constare, velut 242, 7; etenim notissima fabula Caenei ab omnibus auctoribus ita traditur, ut a Centauris illum esse oppressum narrent. Omnino in hoc capite satis neglegentem se praebet auctor. De Niso et Lycurgo supra diximus; de Oedipo quoque sine dubio erravit, cuius mors voluntaria nusquam commemoratur; fortasse causa erroris erat quod Oedipus sibi ipse oculos effodit, cf. f. 67. — Aliter sane res se habet de Clymeno;

hunc enim sibi mortem conscivisse a Parthenio cap. 13 traditum est; atque cum in f. 206 magna incipiat lacuna, in deperdita huius fabulae parte mortem Clymeni narratam fuisse cum Schmidtio conicio. Quomodo Cinyras mortuus sit nescimus; vereor autem ne hoc loco ideo solum commemoretur quod haec fabula simillimum argumentum habet atque ea quae antecedit (cf. quae ad Byblidem supra adnotavimus).

De Canaces morte nihil nisi quae indices Hygini praebent traditum est. Hi autem inter se discrepant, nam 239, 7 Aeolus Canacen filiam, 243, 17 Canace ipsa se interficit, utrum autem in deperdita de Macareo fabula narratum fuerit nemo explorabit (cf. rem simillimam 242, 9: 255, 1 supra p. 74).

Inepte deinde narratur 243, 19 Calypso sibi mortem conscivisse.

Ad 253, 7 recte contulit Schmidt Ovidii met. VII 386 sq. Atque mihi quidem persuasum est indicum auctorem quem hominem indoctissimum fuisse dudum cognovimus ex illis versibus ea quae legimus excussisse et pro Cyllena monte Cyllenam filiam posuisse. Unde vero matris ‚Bliadis‘ nomen hauserit (si quidem hoc vere est nomen) nullius momenti esse puto. Omnino offendit quod Menephron inter mulieres recensetur.

Poteram alios locos afferre quibus parvulum scriptoris ingenium demonstrem, sed ne legentem fatigem, pauca de iis dicam quae cum bonam doctrinam exhibeant partim quidem ad restituendas Hygini fabulas advocari possint.

238, 4: de Hyacintho similiter narrat Apollodorus III 15, 8, 3 sq. nisi quod secundum hunc quattuor Hyacinthi filiae eaeque non a patre sed ab Atheniensibus (cf. Hyg. ‚pro Atheniensibus‘) immolantur. Ex 240, 3 et 254, 9 coniunctis explenda est lacuna fabulae 184 (p. 38, 4). — 241, 2 Antiopam a Theseo occisam esse dicunt Ovid. epist.

IV 117 sqq. Seneca Phaedr. 227. 927. — 242: de Eueno cf. p. 74, de Clymeno cf. p. 75. — 243, 5 de Euadna cf. Apollod. III 7, 1. Ovid. a. a. III 21 (quod ab his in patris nomine dissentit Hyginus, recte explicavit M. Mayer, Herm. XX 111).

Secundum 243, 16 Phyllis suspendio se necasse fertur, cum in fab. 59 ex qua auctor hausit (etenim in hac ut in illa parentes Phyllidis non nominantur) nihil nisi ‚spiritum emisit‘ legeremus. Cum vero suspendii testis praeter alios Ovidius sit (ep. II 141 sq.) in fab. 59 recipiendum esse duco.

In cap. 244 nonnulla exstant quae in Hygini libro desiderantur: 1. 2. 4. 7. 8. 9. 10. 12. De quibus facinoribus nihil scimus excepto primo et secundo (Apoll. II 4, 6. Paus. I 22). Itaque de hoc cap. nihil certi statuere possum, suspicor autem subesse ei partem deperditam libri Hyginiani qua hae potissimum fabulae comprehensae essent.

Quae de Adonidis et Ancaei morte 248, 1. 2 afferuntur fortasse olim in Hygino exstabant, nisi ex Ovidio hausit scriptor, Met. X 710 sq. VIII 391.

250, 2 Diomedem ab equis suis consumptum esse Diodorus IV, 15 narrat (locum a me praetermissum Adolfus Kiessling mihi monstravit).

Ex 250, 6 fabula 84 (p. 83, 18) corrigenda est; nam non currus sed Oenomai distracti mentio erat facienda.

253, 4 Hippodamiam cum Oenomao patre concubuisse Schol. Pind. Ol. I 114 narrat, in Hygino autem (f. 84) hoc ideo non potest exstitisse quod is amor Oenomaum ad deterrendos procos movisse ferebatur, cum ille causam afferat hanc: ‚quod sibi responsum fuit a genero mortem caveret‘. Itaque alio ex fonte illa in indicem finxerunt.

253, 5 Procris apud Hyg. f. 189 Pandionis filia, apud Apollodorum III 15, 1, 2 Erechthei esse dicitur; nusquam autem de eius concubitu cum patre quicquam audimus;

Aglaurus vero cum apud omnes ceteros auctores heroinae in Atticorum fabulis celeberrimae nomen sit utrum auctori indicum an librario masculinam formam ‚natus' tribuam nescio. Ob hoc autem vitium tota res mihi maxime suspecta est. — De Chalciopa (254, 6) cf. schol. in Apoll. Rhod. I 97. — 254, 10: Haec fabula aliunde non nota; ex Valerii Maximi V 4 ext. § 1 correxerunt ‚Cimoni', sed ibi filia Pero appellatur, non Xanthippe.

De Cinyrae pulchritudine (270, 2) testem habemus Pindarum (Pyth. II 16).

Haec fere sunt quae ad supplendas Hygini fabulas adhiberi possint. Et quamquam veri est dissimillimum omnia quae enumeravimus ex Hygino ipso petita esse, tamen in universum pauca exstabunt quae non aut ex servatis aut ex deperditis fabulis Hyginianis fluxerint aut denique e poetarum maxime lectorum memoria non nimis docte addita sint; itaque unius fabulae 244 maiorem partem talia obtinent quae aliunde manasse possint. Hoc autem caput cum ceteris huius generis et stare et cadere nemo non videt. – Praeterea apparet quod breviter adnoto prorsus eiusdem generis atque ea quae disceptavimus capita esse f. 128 ‚Augures', de qua plura dicere superfluum duco (cf. conspectum p. 81).

Diversi autem generis est cap. 275, nam etsi novem urbium conditores e reliquis libri partibus translati sunt restant decem qui ex alio fonte hausti esse videntur. Puto igitur exstitisse hoc caput priusquam ceteri catalogi compositi essent, tum autem supplementa e fabulis addita esse. Simillimum igitur hoc caput est capiti 225 atque etiam simillimas res continet: etenim in altero antiquissimarum urbium, in altero antiquissimorum templorum conditores enumerantur.

Cum his autem duobus capitibus artissime coniuncta sunt ea quae supra tractavimus 273, 274, 277, a capitum

224. 238—257. 270. 271 (128) argumento maxime diversa; pertinent enim ad scriptores περὶ εὑρημάτων (cf. supra p. 17—32). Recte igitur Bursian cum inventiones iam Dositheus testetur, etiam capita 225. 273. 275 genuina esse suspicatus est; hoc autem pro certo affirmare ideo non poterat quod neque quattuor (vel quinque) capitum argumentum ita in unum comprehenderat neque in singulis spuria a genuinis discreverat ut nos conati sumus.

In universum igitur Bursiani sententiam hac disputatiuncula ad liquidum perduci videmus; cum autem in singulis non satis accurate alia, alia minus recte ab illo excogitata esse putem, ipse sententiam meam ita constituo:

In eo Hygini libro quem Dositheus magister habebat inerant cap. 225. 273. 274—277. 275 (singulis additamentis exceptis), praeterea inerant hebdomades illae 221. 222. 223, quas Bursian interpolatori non recte tribuit, cum ex optimis vetustisque fontibus fluxerint. Etiam capita 226—233 deperdita quae Bursian ‚recapitulierende Übersichten, resp. Ergänzungen zu den genealogischen Partien‘ appellat et inter additamenta refert, ego genuina fuisse existimo (cf. p. 32 sq.).

Postea aliqui qui Hygini libro utebantur indicum illorum exempla secuti alios addiderunt quorum argumentum maximam ad partem ex fabulis congesserunt; iidem homines etiam veteres catalogos ex eodem fonte, fabulis dico, suppleverunt et novos nonnullis rebus auxerunt quae pleraque ex poetarum lectione in memoria remanserant. Quae cum facerent sat multis ineptiis vitiisque hanc libri partem olim doctrina haud vili insignem depravaverunt. Addita autem capita in antiquioribus catalogis mythologicis quales inde a grammaticorum Alexandrinorum aevo multi circumferebantur posita non sunt, unde sequitur ea ad mythographicas quaestiones nullius fere pretii esse.

**224.** a) 1.—5. Hercules — Arcas f. 155; 6. Callisto f. 177; 8. Asclepius f. 161. 202; 11. Icarius et Erigone f. 130; 13. 14. Ino Melicertes f. 2. — b) 7. Cynosura; 9. Pan; 10. Crotos; 12. Ganymedes; 15. Myrtilus.

**238.** a) 1. Agamenon f. 98; 3. Clymenus f. 206; 5. Erechtheus f. 46; 6. Cercyon f. 38. 158. 187; 7. Aeolus f. 207. — b) 2. Callisthenes; 4. Hyacinthus.

**239.** a) 1. Medea f. 25; 2. Procne f. 45; 3. Ino f. 1. 2; 4. Althaea f. 174; 5. Themisto f. 1; 6. Tyro f. 60; 7. Agaue f. 184; 8. Harpalyce f. 206.

**240.** a) 1. Clytaemnestra f. 117; 3. Agaue f. 184; 4. Deianira f. 36; 5. Iliona f. 109. — b) 2. Helena; 6. Semiramis.

**241.** a) 1. Hercules f. 32; 3. Cephalus f. 189. 49. 160. — b) 2. Theseus.

**242.** a) 1. Aegeus f. 43; 2. Euenus f. 162. 34. 191 (cf. quae diximus p. 74); 3. Aiax f. 107; 4. Lycurgus f. 132; 5. Macareus f. 207; 6. Agrius f. 175; 8. Menoeceus f. 67. 68; 9. Nisus f. 198; 10. Clymenus f. 206; 11. Cinyras f. 58. — b) 7. Caeneus; 12. Hercules; 13. Adrastus et Hipponous; 14. Pyramus; 15. Oedipus.

**243.** a) 1. Hecuba f. 111; 2. Ino f. 2; 4. Sthenoboea f. 67; 7. Deianira f. 36; 8. Laodamia f. 103 sq.; 9. Hippodamia f. 85; 11. Alcestis f. 50 sq.; 13. Themisto f. 1; 14. Erigone f. 130; 15. Phaedra f. 47; 16. Phyllis f. 59; 17. Canace f. 207; 23. Pelopia f. 88. — b) 3. Anticlia; 5. Euadne; 6. Aethra; 10. Neaera; 12. Iliona; 18. Byblis; 19 Calypso; 20. Dido; 21. Iocaste; 22. Antigone; 24. Thisbe; 25. Semiramis.

**244.** a) 3. Meleager f. 174; 5. Aegisthus f. 88; 6. Orestes f. 119; 11. Atreus f. 88; 13. Medus f. 27; 14. Daedalus f. 39. — b) 1. Theseus; 2. Amphitryo; 4. Telephus; 7. Megapenthes; 8. Abas; 9. Phegeus; 10. Amphion; 12. Hyllus.

**245.** a) 2. Pelops f. 84; 4. Aeetes f. 3. — b) 1. Iason; 3. Phegeus.

**246.** a) 1. Tereus f. 45; 2. Thyestes f. 88; 3. Clymenus f. 206.

**247.** a) 1. Actaeon f. 180. — b) 2. Thasus; 3. Euripides.

**248.** a) 1. Adonis f. 58; 3. Idmon f. 14; 4. Hyas f. 192. — b) 2. Ancaeus.

**249.** a) 1. Hecuba f. 91; 2. Nauplius f. 116; 4. Althaea f. 174. — b) 3. Helena.

**250.** a) 1. Phaethon f. 152; 3. Hippolytus f. 47; 4. Amphiaraus f. 68. 70. 71; 5. Laomedon f. 89; 6. Oenomaus f. 84; (7. Glaucus f. 273;) 9. Salmoneus f. 61. — b) 2. Diomedes; 8. Iasion.

**251.** a) 1. Ceres f. 147 (?); 3. Hercules f. 30; 5. Castor et Pollux f. 80; 6. Protesilaus f. 103; 7. Alcestis f. 51; 8. Theseus f. 79; 10. Orpheus f. 216; 12. Glaucus f. 136. — b) 2. Liber; 4. Asclepius; 9. Hippolytus; 11. Adonis; 13. Ulysses; 14. Aeneas; 15. Mercurius.

**252.** a) 1. Telephus f. 99; 2. Aegisthus f. 88; 3. Aeolus f. 186; 4. Hippothous f. 187; 7. Harpalyce f. 193. — b) 5. Romulus et Remus; 6. Antilochus; 8. Camilla.

**253.** a) 1 Iocaste f. 67; 2. Pelopia f. 88; 3. Harpalyce f. 206; 6 Nyctimene f. 204. — b) 4. Hippodamia; 5. Procris; 7. Menephron.

**254.** a) 1. Antigone f. 72; 3. Iliona f. 109; 5. Hypsipyle f. 15; 7 Harpalyce f. 193; 8. Erigone f. 130; 9. Agaue f. 184; 11. Tyro f. 60. — b) 2. Electra; 4. Pelopia; 6. Chalciope; 10. Xanthippe (reliqua male assuta).

**255.** a) 1. Scylla f. 198; 2. Ariadne f. 42; 3 (Medea) f 25; 4. Procne f. 45; 5. Danaides f. 168; 6. Lemniades f. 15; 7. Harpalyce f. 206. — b) 8. Tullia.

**256.** a) 3. Laodamia f. 103. — b) 1. Penelope; 2. Euadne; 4. Hecuba; 5. Theonoe (cf. f. 190); 6. Lucretia.

**257.** b) 1.—8. Pylades — Moerus.

**269.** a) 2. Cycnus f. 31. — b) 1. † Iovis et Europae filius.

**270.** a) 3. Anchises f. 94; 4. Alexander f. 92; 6. Cephalus f. 189; 7. Tithonus ib.; 8. Parthenopaeus f. 70; 12. Theseus f. 42. — b) 1. Iasion; 2. Cinyras; 5. Nireus; 9. Achilles; 10. Patroclus; 11. Idomeneus.

**271.** a) 1. Adonis f. 58 (?); 2. Endymion f. 212; 4. Hyacinthus f. 218; 5. Narcissus f. 214; 6. † Atlantius f. 215; 7. Hylas f. 14; 8. Chrysippus f. 85. — b) 3. Ganymedes.

**275.** a) 2. Minerva f. 164; 3. Epaphus f. 149; 4. Arcas f. 176; 6. Eleusinus f. 147; 8. Argus f. 145; 9. Cadmus f. 178; 12. Medus f. 27; 14. Liber f. 133; 19. Semiramis f. 223 (?). — b) 1. Iovis; 5. Apollo; 7. Dardanus; 10. Perseus; 11. Castor et Pollux; 13. Camirus; 15. Ephyre; 16. Sardo; 17. Cinyras; 18. Perseus.

**128.** a) 1. (Ampycus); 2. Mopsus f. 173. 14; 3. Amphiaraus f. 70. 73; 4. Tiresias f. 68; 5. Polyidus f. 136; 6. Cassandra f. 93; 10. Calchas f 97; 11. Telemus f. 125. — b) 7. Theoclymenus; 8. Manto; 9. Helenus; 12. Sibylla.

Addendum. Omisi in fab. 224 (sub b): 5a Ariadne (ex Ovid. Fast. III 512).

# Index.



Frommannsche Buchdruckerei (Hermann Pohle) in Jena.